



~~GA 2~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.


VITEBERG.

VI-44.

SIGNAT. clisioCCCCXIII.

Constat





ORATIONES DUÆ

PANEGYRICÆ,

*Quarum,*

I. DE VARIETATE RELIGIONUM JAM INDE A MUNDO CONDITO, AD HÆC USQ; NOstra tempora, tùm quoq; de VERITATE earundem agit:

*In promotione MAGISTERIALI Virorum Juvenum Præstantiss: ac Doctiss: Candidatorum Philosophiæ  
XXXIX. d. 26. Sept: Anno 1620.*

II. DE SAPIENTIA OMNIA OPERANTE,

Inauguralis, die 8. Septembr: Anno 1623.

*HABITÆ IN CELEBERRIMA AC FLORENTISSIMÀ Wittebergensi Academiâ, in frequenti Dn. Dn. Professorum & Studiosorum consessu,*


â

M. ABRAHAMO HEINECCIO  
WITTEBERGENSI, LOGICÆ & METAPHYSICÆ PROFESS. PUBL.

Affixa sunt Programmata tria, item Candidatorum nomina, & RITUS creandi MAGISTROS PHILOSOPHIÆ, in Academiâ Wittebergensi, tùm ORATIUNCULA de IMPEDIMENTIS HONORUM ACADEMICORUM, 18. Septembris  
Anno 1623. dicta.

*Exscripta typis & sumtibus CHRISTIANI THAM,  
Academ. Typogr.*

C4





ORATIO PRIMA,

DE VARIETATE RELI-  
GIONUM JAM INDE à MUNDO CON-  
DITO, AD HÆC USQVE NOSTRA  
tempora, earumq; VERITATE.

**I**N Solenni hoc conventu, Rector Ma-  
gnifice, Illustris ac perquam Gentrose Dn. Baro,  
Viri admodum Reverendi, Amplissimi, Consul-  
tissimi, Peritissimi, Excellentissimi, Clarissimi,  
Præstantissimi, Tuq; Studioforum corona Nobi-  
lissima, Doctissima, In Solenni hoc conventu, an-  
te omnia Deo æterno Patri Domini nostri JESU CHRISTI, intimis  
ex cordium penetralibus devotas agimus gratias, quod tantis in tur-  
bis, bellisq; undiquaq; frementibus, cœtum tamen Academicum  
clementissimâ suâ bonitate conservaverit. Misericordia Domini est  
quod non consumpti sumus, nec defecerunt miserationes ejus, miri-  
ficavit ipse super nos bonitatem suam, & in mediis periculis adhuc  
conservavit animam nostram; Eripuit hætenus pedes nostros ex  
laqueis & insidiis inimicorum nostrorum; Exaudivit de templo san-  
cto suo vocem nostram, & clamor noster coram eo introivit in au-  
res ejus, non confusa est spes & fiducia nostra in ipsum, neq; dedit  
nos voluntati inimicorum nostrorum: Propterea exaltabimus no-  
men ejus in omni generatione & generatione, confiteantur ipsi po-  
puli in seculum & in perpetuum. Neq; desinamus invocare nomen  
sanctum ejus, durantibus, accrescentibusq; periculis, ut & porro cle-  
mentissimâ ac potenti nos dexterâ suâ protegat, cessare faciat bella,  
arcum conterat, & confringat hastas: Tueatur montem Sionem no-  
strum, ne exultent super nos inimici nostri, sit ipse clypeus nobis  
fortis, protectio & fortitudo nostra, Exaltetur Deus noster in genti-  
bus, & cognoscant ipsæ, quod Deus ipse sit protectio & Auxilium  
A 2 nostrum,

ORATIO PRIMA

nostrum, non det commotionem pedem nostrum, pudore afficiantur, & convertantur retrorsum omnes qui odio habent Sion: Sit pax in antemurali nostro, & prosperitas in palatiis nostris. Deus Exercituum sit nobiscum, susceptor noster Deus Jacob sit. Secundum nomen ejus sit laus ejus usque ad fines terrarum, & agnoscant gentes, quod ipse sit Deus judicans in justitiam orbem terrarum, & omnis lingua confiteatur nomini sancto ejus. Benedicat nobis Deus Deus noster, Benedicat nobis Deus, & metuant eum omnes fines terrarum.

Cæterum cum hoc ipso in Loco, splendidoque; hoc ipso in Confessu porro mihi verba facienda sint, Vestra, Auditores omnium ordinum præstantissimi, favore ac benevolentiam fretus quam hoc ipso vestro confessu quasi indigitatis, quibusque; ipsis solennitatem hanc augustiorem facere consuevistis, quamque; antehac erga me abunde declarastis, ut quorum autoritate hoc quod gero officium sustineo, quosque; tum mihi, tum Dominis Candidatis, totique; Collegio Philosophico, per plurimum favere cognitissimum habeo, ad dicendum, tanto animosior accessi, hocque; quod negotii est suscepi lubentius. Cogitanti itaque; mihi quam-nam materiam auribus vestris dignam, locoque; tempori; non incongruam proponerem, subinde variam mentem cogitationes subierunt, quæ hinc inde animum agitando, nunc in hanc illamve partem ceu bilancem instabilem commoverunt. Cum enim tota hæc ipsa solennitas, Philosophiæ Candidatis, Philosophicisque; studiis consecrata sit, nullam uberiores dicendi copiam, primitus me reperire posse, existimavi, quam si de illis ipsis studiis dissertationem instituerem, ut quæ ipsa studia non solum per se commendationem mererentur maximam, verum in tanto etiam multorum odio, sui quasi patrocinium postulant, dum multi vel malitiam, vel ignorantiam ducti, ea contemnere, variis mirisque; modis exagitare, scommatibus pluribus, & sono verboque; horrendis læssere, & tandem orco, satanaeque, tum ipsa hæc studia, tum cultores ipsorum tradere non sunt veriti. Hinc vel de causis ad Philosophiæ studium impellentibus, vel de Impedimentis studii Philosophici amovendis, vel quoque; de optimo Philosophandi genere vestra pace me commode dicturum arbitrabar. Mente tamen revolvens vanitatem scommatum istorum, quæ impudico ore, linguaque; ipsi Adversarii contra



contrâ Philosophiam evomunt, quæ meritò suis quoque relinquantur autoribus, neque etiam à bonis absque Indignatione audiri possint, imò in fumos ventosque; vel audita semel abeant, quodque; insuper vel nullus hoc ipso in splendido Confessu reperiatur, qui Philosophiæ studia vel antehac non excoluerit, vel excolenda tamen iudicet. Id ipsum etiam quam sæpissimè tantâ autoritate ac applausu ab aliis factum sit, ut si vel in hac ipsa materiâ dicendo progrederer, Soli jam splendidissimo lumen addere viderer, aut de re illâ in qua dissentientem invenirem neminem prolixè differerem. Quocircâ animi sententiam mutans, neque; tamen ab hoc argumento planè recedens aut aliena pertractans, verum hæc ipsa tempora in quibus jam vivimus perpendens, quæis

————— *Mars truculentus in armis*

*Savit:*

Regionesque; multæ ac Religio vera periclitari videntur, argumentum neque; loco, neque; tempori, neque; confessui huic incommodum fore iudicavi, si quædam de Religionum varietate, quam jam inde à primâ origine Mundi, ad hæc usque; nostra tempora, sustinuit, & absque dubio ad adventum usque; gloriosum filii Dei sustinebit, earumque; veritate dicerem. Quod dum facio, eâ quâ par est reverentiâ, à singulis rogo, ut semihorulæ spacio benevolentia vestra aurâ sublevare, meque; dicentem benignè audire velitis.

Religio itaque; quæ solis hominibus propria, quaque; etiam à brutis distinguuntur animalibus, omniumque; hominum animis, quantumcunque; etiam ferocissimorum innata est, in agnitione & timore supremi alicujus consistit numinis, quod quidem habendum, non verò quale illud sit, naturâ duce homines agnoscunt, unde *Cicero lib. 2. de naturâ Deorum*, omnibus innatum & quasi insculptum esse Deos inquit, & *Aristoteles lib. 5. Ethicorum*, cultum Dei inductum à naturâ, modum autem colendi à lege esse asserit. Exindeque; *Lactantius* scribit: Religio sola differentes maximè à beluis homines facit, quam qui non admittit, alienus est à naturâ hominis, & vitam pecudum sub humanâ specie vivit, hinc *Xenophonti* primum erat existimare, Deum coli oportere: *ὅτι τὸ πρῶτον ἄνθρωποις πρῶτον νομίζεσθαι θεῶν ὄντων* inquit: atque; juxta *Arnobium*: Religio nihil est aliud quam recta

de Divinis mens, cui postmodum opponitur superstitio. Quoad Etymologiam verò nomen hoc alii à relegendo, alii à reeligendo, alii à relinqvendo, alii à religando deduxerunt, quas sententias complexus *D. Thomas*, scribit: Religio seu dicatur à frequenti relectione, sive ex iteratâ electione ejus quod negligenter amissum est, sive dicatur à religatione, religio propriè ordinem ad Deum importat. Nam ut *Johannes Franciscus Picus Mirandulanus lib. 1. de verum prænotione cap. 10.* inquit: *DEI* cultus est ipsa religio, seu à *DEO* reeligendo seu ab eo nos sibi religante, aut à nobis animas ei religantibus nostras dicatur: idem enim videntur quodammodo nec re ipsâ & fine differre, quandoquidem & nos ei animas religare nostras non possumus, nisi suâ ipse gratia animas sibi nostras priùs religaverit. Hac enim cognitione gignimur, ut generati nos debita & justa *DEI* obsequia præbeamus: hunc solum noverimus, hunc seqvamus, hoc vinculo pietatis obstricti, & religati sumus juxta *Lactantium*. Est autem religio nil aliud quàm virtus in *DEI* agnitione & cultu consistens, quæ si in verum *DEUM* dirigitur vera, in falsum superstitio, aut hæresis dicitur. Unde & *Cicero lib. 2. de Invent.* scribit: Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam ceremoniamq; affert: Ac paulò post Religionem eam vocat, quæ in metu & ceremoniâ Deorum consistat; Religionis sic duas partes constituendo, internam quasi alteram, quæ in cura metuq; *DEI* consistat, alteram verò externam, quæ in ceremoniis seu cultu illo quo, *DEUS* coli velit, posita sit. Consideraturi verò varietatem Religionum necessum est, ut nos convertamus ad Religionis originem, quæ non ab homine primùm, sed ipso *DEO* profecta est, ac ab ipso *DEO* à prima statim creatione hominis instituta fuit; dum non modò diem septimum, in quo quiescebat ab omni opere suo, sanctificavit, quo de *DEI* operibus, bonitate ac justitiâ convenientes inter se homines collocuti fuissent, sed præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali dederat, in quo obedientiam suam ergà *DEUM* creatorem declararent, adeoq; in justitia & sanctitate concreatâ permanentes, sobolem in eadem justitiâ & sanctitate procreassent, Deoq; perfectè placuissent, ipsiusq; in amore & laude permanissent, donec tandem ad societatem Angelorum à *DEO* ex gratiâ assumpti

DE VARIETATE RELIGIONUM.

sumpti fuissent, posterosq; eorundem gaudiorum participes fecissent. Hæc siquidem hominis tandem perfectio, ut DEO conjungatur, ceu primo suo principio cum quo quanto arctius conjunctus fuerit, tanto majorem in se perfectionem deprehendit. Ac optandum sanè ut in hac Religione homo constitisset, in qua frequentissima ipsi cum DEO concessa fuisset conversatio, in qua summa Angelorum familiaritas, summa rectitudo, viriumq; omnium ac facultatum conformitas. Sed hîc ipsa prima incepit Religionis varietas, quæ varietatum diversitatumq; omnium, quæ ad hunc usq; diem horamq; vigent, non in religione modo, sed in omni vitæ societate, omnibusq; actionibus hominum, origo ac mater est. Hîc homo à DEO sese avertendo, religionemq; priorem commutando, mentem viresq; omnes commutavit, quæ mutatione quoq; nil periculosius, nilq; magis exitiosum unquam extitit. Perpendentes verò quæ justitia, quæ sanctitas, quæ sapientia, quæq; virium conformitas primis parentibus concessa fuerit, quâ ratione religionem hanc à DEO ipso datam, ex cujus ore hanc ipsam audiverant, mutare potuerint, cum stupore, nec absq; causa admirantur posteris. Verùm si astutiam seducentis odiumq;ve, invidiamq; jam lapsi Dæmonis perpendimus, laqueis tandem illius irretitum, hominemq; à pristina Religione deductum, summis acerrimisq; tentationibusq; victum, percipimus. Sic ergò Religio prima, quæ prohibebat, ne ex arbore scientiæ boni & mali comederent, aliâ novaq;ve, prioriq; directè oppositâ immutabatur, nimirum quod quacunq; die ex arbore ista comederint, tunc oculos ipsorum fore apertos, futurosq; instar DEI scientes bonum & malum. O audacem verò vocis divinæ à Diabolo susceptæ immutationem! O infelicem vocis hujus auscultationem! quæ religio vera, verusq; DEI amor, cultusq; amissus, non nisi DEI iram, omnisq; generis mala, hominibus adduxerit. Hic ergò diffusionum diversitatumq; origo facta est, quâ homo amplius neque in seipso requiem, neque in horto Eden, neque coram DEO, Angelisq; reperire potuit. Fugam assumpsit, fugâ sibi consulendum imprudens incautusq;ve, DEI oculos, majestatemq; ac præsentiam se effugere posse arbitratus est. Hocq; pacto homo instabilis, incertusq; tutò nusquam poterat consistere, verum Diaboli fa-

ctus

Stus mancipium, absq; religione, absq; DEO, metu periculi,  
 mortisq; percussus, vocem divinam, quæ vox solatii ac benignitatis  
 esse debuisset, eam ipsam horrere fugereq; incipiebat. Denuò itaq;  
 hominis creator misertus benignissimus, hominem non planè à  
 vultu suo abiecit, verum novam Religionem cultumq; sui inter ho-  
 mines constituit, eam quidem perfectionem in quâ primo homi-  
 nem creaverat, requirens, quam tamen cum præstare non potuerit,  
 semen mulieris contritutum caput serpentis, promisit, in quo per-  
 fectionem suam iterum acquirere, cumq; DEO creatore suo recon-  
 ciliari posset, absq; dubio sacrificiorum simul ritum instituens, ani-  
 maliaq; munda ab immundis distinguens, cumq; legis non tota-  
 amissa erat notitia, hanc ipsam de novo quidem Deus non repetiit,  
 utpote quæ animo adhuc Adami inerat, licet eadem perfectione quâ  
 antea ipsi satisfacere non poterat. At uti ex mala arbore non nisi  
 mali fructus proveniunt, ita Adamus quoq; sobolem, ad imaginem  
 sui quam post lapsum obtinuit, progenuit, hincq; soboles parente  
 non melior sed deterior facta fuit. Quæ ergò Ecclesia Religioq; in-  
 ter paucos quam optimè conservari debuisset, ea ipsa en nec duos  
 postmodum inter fratres Cainum & Habellem conservabatur, ve-  
 rum Cain fastu propriaq; sanctitate tumidus, irâ ergà fratrem ar-  
 dens, ceu cujus causâ sacrificia ejus DEUS aspernatus fuisset, ipsum  
 occidebat, à facieq; DEI profugus propria postmodum malitiâ, à  
 verâ Ecclesiâ ac Religione se avertit, novumq; cultû instituit ejusq;  
 posterum ordinem conjugii, aliaq; perverterunt, filios piorum Patriar-  
 charum qui ob id filii DEI dicuntur seduxerunt, Spirituiq; Sancto  
 resistentes, toti postmodum orbi terrarum pœnam diluvii induxe-  
 runt, quam non nisi Noah cum uxore, tribus filiis, eorumq; uxori-  
 bus effugit, ut à quo teste *Apostolo* non nisi octo animæ reservatæ fue-  
 rint. Sic igitur Ecclesia à malis liberata hominibus, purior itidem  
 ac repurgata in Noah, ejusq; familiâ constitit. Verum neq; diu in-  
 ter posteros ipsius conservata, sed ut Cham filius Noæ natu mini-  
 mus patris derisor factus est, ita posteri ipsius, non solum Tyranni-  
 dem invexerunt, sed DEUM quasi de cœlo præcipituri, Turrim cu-  
 jus vertex cœlum attingeret, ædificare inceperunt, obq; id confusio-  
 ne linguarum à DEO puniti, inq; totum orbem terrarum dispersi,  
 simul

DE VARIETATE RELIGIONUM.

simul etiam quò longius à posteris Semi emigrarunt, eò etiam longius à verâ Ecclesiâ abierunt, verusq; cultus DEI, veraq; Religio non nisi in familiâ Semi conservata fuit, neq; tamen & ipsa pura permansit, sed in Idololatriam converti incoepit, donec tandem Deus peculiare fœdus cum Abrahamo erexit, & ex Chaldæâ ubi paterno ritu ignem colere assueverat deduxit, Semen mulieris denuò ex familiâ ipsius oriundum promisit, novoq; ritu ac Sacramento Circumcisionis confirmavit, ejusq; posteros eligendo post quadringentos annos factæ primæ promissionis, ex Ægypto eduxit, legemq; in monte Sina dedit, quibusq; ceremoniis coli voluerit, quibusq; legibus Respublica ipsorum administrari debuerit, per fidelem servum, suum Mosen, quem quadraginta diebus informaverat, edocuit. Hic interim gentes reliquæ in Idololatriam, Deorumq; fictitiorum cultum planè demersæ, Ægyptii ex terrestribus animalibus coluerunt. Bovem, Canem, & Felem; ex avibus *Accipitrem & Ibum*, ex aquaticis *Squammosum & Oxyrinchum*, tum quoq; *Baalzephon*, qui servos fugitivos observaret & retineret. *Canopum*, qui pedibus perexiguis attracto collo, & quasi sugillato ventre tumido, in modum hydriæ cum dorso æqualiter tereti formabatur, ac quasi victor omnium Deorum colebatur, ut qui antea astu sacerdotis Ægyptii Ignem Deum Chaldæorum seu *Orimada*, vel etiam *Urchadim*, uti vocabant, vicerat, quem eundem etiam Deum *Esch* ab Hebræo dictum in *πυγείω* seu templo ignis Persæ colebant, ac uti *Diodorus Siculus lib. 1. rerum antiquarum cap. 2.* scribit: primi olim homines in Ægypto geniti, hunc mundum ornatum conspicientes duos esse Deos, & eos æternos arbitrati sunt, *Solem* videlicet & *Lunam*, & illum quidem *Isridem*, hunc verò *Isidem* certâ ratione nominis appellarunt, quam ipsam tamen *Isidem* alii Taurum fuisse ruffum dicunt, ad Nilum nutritum, cui ex lege postmodum Viri feminaq; ruffi aut castanei coloris mactabantur, inq; templo *Isidis* offerebantur, econtra verò nemini fas erat animal ullum ruffum occidere. *Suchuth Benoth* idolum erant *Babylonicum*, uti & *Bel*, & *Draco*, item *Nabo*, *Adramelech* ac *Anamelech* Deus erat incolarum *Sepharvaim*. *Asima* hircus sylvestris *Hemathæorum*: *Baalpeor* Moabitarum: *Beelzebub* Acaronitarum: *Chamos* Amorrhæorum & Ammonitarum uti & *Moloch* seu *Molech* & *Milchom*

ORATIO PRIMA

8  
 ipsis dictus. *Dagon* Philistinorum, *Nabaon* seu *Nibchaz*, item *Tharack*  
*Hevæorum*, *Nergal* Cathæorum, *Lacedæmoniorum Origes*, *Mace-*  
*donum Mercurius*, *Ephesiorum Diana*, *Græcorum Juno*, *Trojano-*  
*rum Vesta*, *Tarentinorum Ceres*, uti hos *Apollonius Thyanæus* con-  
 scriptos reliquit, ac quis omnes omnium populorum Deos enume-  
 rare poterit, tot enim non modò Dii quot populi, sed singulis penè  
 urbibus peculiaria consecrata erant numina. Hos inter medios  
*Israëlitæ* postmodum habitantes, qui veram Religionem cultumq;  
 Dei conservare debebant, qui vocem ipsius ex cœlo audiverant, qui  
 tot Prophetarum concionibus admonebantur, vero tamen Deo re-  
 licto, Gentilium Deos assumpserunt, idolaq; ipsorum in medio sui  
 erexerunt, *Melech* reginæ cœli sacrificarunt, solisq; equos qui ta-  
 men nulli sunt adorarunt, verusq; veri Dei cultus, inter ipsos quoq;  
*Israëlitæ* desit, donec ex captivitate *Babylonicâ* reversi, idolis gen-  
 tilibus abjectis, ad Deum sese converterunt, templum reedificando  
 pristina sacrificia instituerunt, Messiamq; jam propè affuturum ex-  
 pectabant. Verùm posthæc ipsa quoq; tempora timore gentilium  
 multi adacti, non solum ipsorum quoq; Deos colere inceperunt, sed  
 in varias quoq; insuper sectas divisi sunt, quarum tres imprimis ce-  
 lebres, *Phariseorum*, *Sadduceorum* & *Essæorum*, qui inter se dogmati-  
 bus contrariis, vitæq; institutione pugnantes, eò tamen contende-  
 runt, ut vel resurrectionem mortuorum planè abnegarent, vel san-  
 ctitatem propriorum operum erigerent. Imprimis verò Romani  
 quorum Imperium regnumq; Monarchia esse cœperat, quò non  
 tantum regno prævalerent, sed etiam Deorum copia cultuq; reliquis  
 gentibus superiores essent, quocircà templum *Pantheon* dictum cre-  
 xerunt, & quos unquam gentium Deos esse audiverunt, in templum  
 istud reposuerunt, atq; cum olim tantum quinque Deos coluerint,  
*Jovem* nimirum, *Martem*, *Janum*, *Beresynthiam* & *Vestam*: *Bruxillus* du-  
 centa & octuaginta millia Deorum moriens ipsis reliquit. Erant  
 tunc inter illos viginti dii selecti, quos ita quasi seorsim electos invo-  
 cabant, puta *Janus*, *Saturnus*, *Jupiter*, *Genus*, *Mercurius*, *Apollo*, *Mars*,  
*Vulcanus*, *Neptunus*, *Sol*, *Orcus*, *Liber Pater*, *Tellus*, *Ceres*, *Juno*, *Minerva*,  
*Luna*, *Diana*, *Venus*, *Vesta*, hos nulli licebat sibi privatim vindicare,  
 aut coram quempiana suam privatim facere, verum omnium in-  
 ali-

DE VARIETATE RELIGIONUM.

Univerſim commodis inſerviebant. Præterea verò Deum *Cautium* invocabant, ut liberos daret ingenioſos & acutos; parturientes invocabant *Lucinam*; *Opem* qui infanti naſcenti opem ferret; *Vagetium* ne multum plorarent infantes; *Cuninam* quæ infantes in cunis fueretur; *Ruminam* quæ parvulis præerat. *Stellinum* qui præerat pueris primùm ſtare incipientibus; *Adoneam* quæ faceret ut ingredi jam ſciens puer matrem adiret & diligeret. Erat & iſſis Dea *Mens* quæ pueris bonam malàmve doceret mentem; *Volumnus* itidem & *Volumna* quibus deſponſati cordi erant; *Agreſtus* qui agris & fructibus præerat; *Bellona* quæ bello decertantes tuebatur; *Victoria* quæ victoriam ab hoſtibus daret; *Honorinus* qui efficeret ut honorentur ab hoſpitibus; Erat *Æſculanus* fodinarum metallicarum Deus; *Pecunia* metallorum Dea; *Æſculapius* ægrotorum; *Spinemſem* invocabant ut fruges à carduis ſpinisq; repurgaret; *Rubigo* fruges à locuſtis, vites à bruchis defendebat; Erat Dea *Muta* quæ hoſtes mutos redderet, quoties mala de iſſis loqui vellent; *Ageneria* quæ deſidiam ab homine pelleret; *Scimula* quæ excitabat negociantes, ne ceſſatores eſſent in negotiis; Erat Dea *Martia*, *Rumina*, *Jugatinus*, *Vullonia*, *Seja*, *Segetia*, *Tutilina*, *Flora*, *Matura*, *Ruana*, *Forculus*, *Limentinus*, *Porculus*, *Carda*, *Sylvanus*, *Jugatinus*, *Flora*, *Theatrica* ipſaq; *Febris*, *Pavor*, *Quies* iſſis dii erant. Imò aræ *Miſericordie*, *Pudoris*, *Famæ*, *Alacritatis*, *Bonæ Valetudinis* apud iſſos erectæ erant. Ac inſuper *Somnia*, *Pertinacia*, *Gratia*, *Fraus*, *Miſerie*, *Querela*, *Amor*, *Dolus*, *Metus*, *Labor*, *Invidentia*, *Fatum*, *Senectus*, *Mors*, *Tenebra*, pro diis ab iſſis ſunt habiti. Undè rectè vulgatum illud *Prudentis*:

*Quicquid humus, pelagus, cœlum, mirabile, gignit  
Id dixerunt Deos, colles, freta, flumina, flammæ.*

Eoq; etiam de Diis ſuis fabulabantur, quæ mortalibus conveniebant hominibus, imò adulteria, furta, patricidia, prælia, crudelitatemq; illis injunxerunt, quæ propria ſunt latronum, & ſceleratorum hominum facinora. Sic igitur vera Religio quæ in cognitione cultuq; unius Dei conſiſtebat, non obſcurata tantum, ſed & amiſſa, fuit penitus. Ac quanquam ſaniores Ethnici rectâ ratione ducti, unum tantum Deum eſſe cognoverint, paternis tamen illis quaſi legibus, de multitudine Deorum contrahiſcere non audebant, ut qui

indigni judicabantur, qui diutius in mundo hoc viverent, cum Deorum cultum ac Religionem profanare auderent. Hicq; ipse idolorum cultus non tantum apud Romanos inviguit, sed ut ipsi rerum Domini, ita quoq; Deos suos populis devictis obtruderunt, ipsiq; etiam propria idola, Deosq; sibi confinxerunt. Hinc Majorum nostrorum Germanorum Dii sono, voceq; horrendi ab ipsis tamen religiosè colebantur. Erant enim ipsis Dii *Zemenseull / Trigla / Radegast / Swanteroth / Zernebock / Zedutto / Erodo / Swanteterge / Porrewitt / Luntea / Belloda* / quæ ipsa Diabolorum, quàm Deorum potius dicas nomina. Sic ergò vera Religio fermè tum inter Judæos, planeq; inter gentes amissa fuit, quæ ut mundo restitueretur, hîc labor, hîc opus erat, quod nullâ humanâ vi effici potuit, sed virtute Divinâ peragendum erat, ut Judæi à justitiâ quàm sibi confinxerant, operum revocarentur, Gentiliumq; idola destruerentur. Filius itaq; ipse DEI CHRISTUS JESUS de cœlo venit, humanam carnem assumpsit, in terrisq; obambulando potenter sese promissum esse semen mulieris ostendit, nomenq; suum non in Judæâ solùm, sed in toto orbe terrarum prædicare jussit, in cujus etiam adventu idola gentilium collapsa, Pantheon Romæ destructum, Spiritus ipsi mali quod tunc cedere cogentur, palàm professi sunt; Ipseq; virtute ex alto Apostolos instruxit, ut dum gentibus stultitiam, Judæis verò scandalum prædicaverint, id ipsum tamen exiguo perfecerint tempore, ut non modo in toto orbe terrarum prædicatio Evangelii de CHRISTO promulgata fuerit, ipsaq; etiam gentes, quæ longissimè remotæ videbantur à fædere, in fædus gratiæ receptæ: Religioq; pura, quæ olim inter solos Judæos conservabatur, quibusq; omnes se adjungere tenebantur, qui Deum verum invocare, illiq; sacrificare volebant, eâ non uni angusto inclusa mundi angulo, sed toto orbe terrarum prædicata, non amplius Religio Israëlitarum, sed Christiana, à CHRISTO fundamento & capite dicta fuit, ac ubicunq; homines habitant, ibi si non omnes, aliquos tamen qui CHRISTI nomen adorent, invenias. Quamquam verò & hîc optandum esset, ut Religionem de CHRISTO, ab Apostolis in toto orbe terrarum prædicatam, puram illibatamq; posterii ipsorum conservassent, neq; humanis traditionibus dogmatibusq; proprio cerebro excogitatis,

in manu-



immutassent, aut supercilioso fastu, vel inani concertandi libidine, aut ignorantia simul cum superbia conjuncta, Ecclesiam CHRISTI perturbassent, & ad hanc usque diem perturbarent. Astu tamen partim odioque diaboli hisque ipsis viciis adjuvantibus, si vel unquam animi hominum in Religione distracti fuerunt, sique varietas in Religionem introducta fuit, eam ipsam religio Christiana sustinuit. Ea enim cum totum regnum suum destructum, iri cognoscebat Satanus, neque eam ipsam tamen, ob potentiam CHRISTI auctoris, delere poterat, ut Tyrannide savitiaque Imperatorum Ethnicorum, decemque persecutionibus gravissimis attentaverat: variarum itaque haeresium autores suscitavit, qui cum Christi nomen, Christianorumque Religionem profiterentur, nil tamen minus agebant, sed potius variis modis eam corrumpendo, Religionem, si non in omnibus CHRISTI Apostolorumque doctrinae contrariam, extruxerunt, in potissimis tamen capitibus dissentientem, ut tot penes Religiones quot Doctores extiterint. Hinc exorti Nicolaitae, Chiliae, Ebionitae, Gnostici, Alogiani, Tatiani, Montanistae, Marcionitae, Novatiani, Sabelliani, Patripassiani, Samosateniani, Manetistae, Melitiani, Ariani, Donatistae, Photiniani, Eynomiani, Aetiani, Antropomorphitae, Apollinaristae, Macedoniani, Pelagiani, Nestoriani, Eutychiani, Monophysitae, Acephali, Tricheitae, Agnoetae, Theopaschitae, Monopheletae, & qui porro haereticorum numerus innumerus, Religionem Christianam, a CHRISTO Apostolisque institutam depravantium. Ac ut hisce quidem sectis haeresibusque puriores Ecclesiae Doctores, Zelo laboreque indefesso semper resisterunt, utque illis tanto majori cum fructu resisteretur, ab Imperatoribus Christianis Concilia Oecumenica magnis sumptibus, difficultatibusque conscripta fuerint, quorum etiam felici progressu sectae, haeresesque aliquae plane deletae & extinctae fuerunt, aliquae vero reliquias, in Orientalibus Ecclesiis reservarunt, quaeque etiam ad hunc usque diem inibi reperiuntur, tandem tamen ex Arianismo & Judaismo, auctore Sergio Monacho, & Mahomete circa annum CHRISTI sexcentimum vigesimum secundum, Alcorani, Turcicus ortus est, qui tanquam lues gravissima totum penes orbem terrarum, ac imprimis Orientem obruit. Quam ipsam tamen Turcarum Religionem Ismael Sophus, vel Siach Ismael dictus in Persia imitavit: Exindeque Turcae & Persae religionibus distinctis, bella in-

ter sese gesserunt sæpè acerrima, variisq; etiam Religionibus Ægyptii ac Indi distincti sunt: Ipsiq; etiam Græciâ puritate Religionis ob barbariem, servitutisq; jugum, in non paucis articulis, tum à verâ fide, deficere inceperunt. Cumq; Occidentaliore Ecclesiæ puritatem Religionis ab Apostolis traditam magis conservare videbantur, ut in cujus Metropoli R O M A non tantum Imperatorum sedes, sed & Religio purior accrescebat, primis Episcopis à Temporibus *Cleti* ad *Sylvestrum* usq; primum, annis nimirum trecentis & undecim maximo periculo summisq; laboribus doctrinam de C H R I S T O docentibus ac propagantibus, unde & ad Ecclesiam Romanam Patres Orientalium Ecclesiarum, inq; rebus difficilimis consilia Episcoporum Romanorum expetierunt, à Sylvestro tamen usq; ad *Bonifacium Tertium*, ad annum C H R I S T I Sexcentimum sexagesimum quartum, superstitionis Ceremoniæ, traditionesq; Ecclesiam aggravari iuocæperunt, pedetentimqve, à purâ Religione Pontifices horum, successores deficientes, potestatem sibi non modo summam in Ecclesia assumpserunt, verùm gladium etiam Politicum affectantes, non prius quieverunt, quin Imperatores Romanos, actu doloq; ex Italiâ propellerent, dominiumq; etiam politicum, & gladium Magistratus sumpserint, eam potestatem sibi attribuentes, ac si soli essent, qui reges constituere ac deponere possent, excommunicatione suâ Reges, Principes, totumq; Orbem terrarum terrentes, in illasq; angustias traditionibus suis variis, hominum animos redegerant, ut dum salutem animæ quærebant, ubi ipsam quærere deberent, reperire non potuerint. Non modò enim verbi Divini, sacrarumq; literarum lectio apud ipsos planè quasi intermittebatur, verum & ipsa Laicis quos vulgò vocant interdicebatur, ad varias intercessionem Sanctorum, Sanctarumq; deducebantur, propriaq; merita, aut si consulere ipsis optimè volebant, ad Indulgentiarum Theaurum, concurrendum ipsis esse dicebatur. Hinc purgatorii apud ipsos metus excitabatur, Vigiliarum, Missarumq; multitudo immensa, pro vivis defunctisq; instituebatur, quicq; verbo Divino erudiendi, sacroq; corpore, & sanguine C H R I S T I alendi, his loco verbi Divini traditiones & Decretalia Pontificum multivaria proponebantur, Calicisq; pro omnibus in Sacramento cœnæ instituti usus, Lai-

cis

eis denegabatur, solisq; quos vocant Clericis, concedebatur, qui in Missa Sacrificium instituentes, CHRISTUM denuò Patri ceu sacrificium incruentum obferre voluerunt, & ut cum Ethnicis concertare in numero Deorum viderentur, non modò regionibus, sed & urbibus penè singulis, morbisq; ac animalibus peculiare Deos quasi tutelares, opitulatoresq; constituerunt. Hinc ergò tenebræ illæ in regno Papali longè maximè, quibus totus mundus, & imprimis pars Occidentalis detinebatur, quo tempore verè Sol obscurabatur, neq; Luna, Stellæq; splendorem suum terræ conferebant: cum in Ecclesiâ Doctores qui illam illuminare, debebant, nil nisi tenebræ facti erant. Ac quæquam sub ipso Papatu varii Monachorum, Monialiumq; erant ordines, hi tamen ordinibus suis doctrinam Evangelii non illuminarunt, sed densiore multò nebulâ atq; caligine obfuscarunt, ipsiq; Caput suum Romanum Ve Jovem agnoscentes, ut in doctrinâ ceremoniisq; dissentiebant, optimâ harmoniâ concordare æstimabantur. Ex tantis ergò tenebris etsi omni seculo emergere viri pii, cordatiq; enixi fuerunt, fraudesq; ac Tyrannidem Pontificiam animadvertent, uti ex Imperatoribus, Henricus III. Fridericus II. Ludovicus IV. Henricus V. Otto IV. Chaldericus III. Carolomannus, ac Ludovicus XII. Johannes & Edvardus Reges Angliæ, Philippus Pulcer Rex Galliarum. Ex viris Doctis Veltramus, Episcopus Naumburgensis, Episcopus quidam Verdunensis, Benno Cardinalis, Petrus Blesensis, Ottho Frisingensis, Waldenses, circa annum CHRISTI millesimum centesimum sexagesimum. Rupertus Episcopus Lymoniensis, Sewaldus Trithemius, Johannes Teutonicus, Volquinus, Occam, Thomas de Corfellis, Johannes Hufs, Hieronymus Savonorolla, Henricus Tocken, Canonicus Magdeburgensis, Nicolaus Clemangis circa annum CHRISTI Millesimum quadringentesimum decimum sextum, Laurentius Valla, Johannes de Vefalia, Doctor Weselus, Jacobus Faber, Jodocus Clitovæus, Baptista Mantuanus, Domitius Calderinus, Doctor Rensersberger, Johannes Hilten, D. Fleck, D. Andreas Proles, aliiq; innumeri, quorum vel nomina partim ad nos non venerunt, scriptaq; studio atq; vi adulatorum Pontificiorum depravata combustaq; sunt. Expectandum ergò erat lætum illud tempus,

quo

quo Angelus per medium cœli volans, æterno Evangelio, evangelizaret incolis terræ, & omni genti ac tribui, & lingvæ & populo dicens magnâ voce: Timete Deum & ei tribuite gloriam, nam venit hora judicii, adorate eum qui fecit cœlum & terram, & mare, & fontes aquarum. Quem ipsum Angelum nullum alium quàm B. Lutherum fuisse statuimus, cujus operâ Deus Spiritus Sanctus annis ab hinc centum & tribus tenebras Papatus discutere, tyrannidemq; regni Pontificii imminuere, ac destruere voluit, quo ipso non quidem Religio nova introducta, verum ea ipsa quæ variis erroribus sub Papatu contaminata, nebulisq; traditionum obscurata, in lucem reducta, atq; dogmatibus repurgata fuit; siquidem non nova, hæc quæ Lutheri ministerio ad nos deducta fuit, Religio sed antiquissima utiq;ve, Regno Papali quot aliquot post Apostolos seculis incepit multò antiquior, utpotè quæ scripturis Prophetarum, & Apostolorum, per omnia conveniens, quæq; salutis viâ non amplius obscura ac dubia, sed in CHRISTO JESU ejusq; salutari merito conspicua certaq; exposita est. Hac non amplius ad nostra Sanctorumq; deducimur merita, non animæ nostræ ad purgatorium post mortem ablegantur, non Sanctorum intercessionem præscribuntur, calicis salutaris in cæna Domini usus nemini denegatur, inutiles inanesq; ceremoniæ abrogatæ, Justificatioq; nostra non ex Virtutis habitu, sed ex gratia Dei meritoq; CHRISTI fide apprehenso dependere ostenditur, hacq; fide certi & indubii ad vitam æternam omniumq; Sanctorum, & cœlestium Angelorum societatem aditum nobis patere confidimus, Christum unicum caput Ecclesiæ, non Romanum illum Antichristum agnoscimus, fideq; ac spe certi in studio bonorum operum ambulantes, adversa quævis Mundi patienter constanterq; perferimus. Ulti verò pro hoc tantoq; dono nulla mens linguaq; sufficientes grates Deo decantare potest, quòd sub vespè mundi hujus, Germaniæ, & imprimis huic Wittebergæ nostræ tam clementissimè misereri, lucemq; verbi sui Divini denuò inter nos accendere voluerit, ita nullum est dubium, quin ingratitude multorum hominum, ac obstinata cæcitas, vanaq; multorum emergendi ambitio, Deum ad iram justissimam commoverit, ut & hoc ultimo elapso centenario, Diabolo omnis veræ Religionis perverfori, errorumq;

rumq; autori concesserit, ut non modò in Idolomaniâ Pontificiâ, multos reservaverit, sed & novis variisq; doctrinis à Lutero *διαδιαπαισών*; quod dicitur, distantibus, Germaniam conturbaverit. Ut enim prætermittam Anabaptistarum factiones, ab ipso excitas, quæ pro diversitate suorum Doctorum in varias sectas abierunt, dissentientibus inter se dogmatibus: Fuerunt enim inter ipsos dicti Apostolici, Spirituales, Fratres Tacentes, Orantes, Entateci, Libertini, Adamitæ, Monasterienses, Hofmanniani, à Melchiore quodam Hofmanno dicti, Davidiani à Davide Georgio, qui miser se ipsum Dei filium Messiam Christum non ex carne, sed ex spiritu natum assererat, seq; peccata condonare, ac reservare, & judicaturum in novissimo die asseruit. Verùm insuper Synergistarum extruebantur commenta; Osianristarum deliria; Majoristarum operum necessitas; Stancaristarum blasphemias, Swenckfeldianorum somnia, quibus non incommodè Weigelianos sic dictos annumeraveris, qui multis in locis clanculum virus suum spargere incipiunt, incautosq; multos, nescio, quem hominem internum, sanctitatemq; profitentes decipiunt, scholas Academiâsque omnes rejiciunt, internum verbum prædicationemq; Spiritus Sancti audiendum esse asserunt, durch die Belassenheit / vnd Vergessenheit seiner selbst / ut propriis ipsorum verbis exprimam. Et qui temporibus Lutheri gliscere incipiebant Sacramentarii, autoribus imprimis Zwinglio, Calvino ac Oecolampadio, quibus masculè tamen Lutherus restitit, Zwingliumq; eò redegit, ut in Colloquio Marpurgensi, abjectis suis erroribus, in omnibus articulis, solo excepto qui est de cœna Domini, Lutheri sententiam sequeretur, quos tamen omnes paulò post recoxit, ac defendendos suscepit, errorumq; discipulos ac sectatores invenit per plurimos, qui errores erroribus addentes, utut primis temporibus latuerunt, paulò tamen post, in apertum prodire inceperunt audacius, adeoque astu, versutiisq; rem agentes, venenum quod sub doctrinâ ipsorum latet, gravissimum ac præsentissimum, multas in aulas principum hominumq; animos disperferunt. Qui ut ipsi quidem Fratritatem Spiritualem imprimis nostram (politicam enim & civilem nemo Lutheranorum unquam denegavit) ambiunt, asserentes quod in unico tantum articulo, eoq; tamen neq; in-

C

tegro,

tegro, sed de paleâ tantummodo dissentiant: Ita tamen cum nec in fundamento fidei, quod ipsi non Scripturam solum, sed & rationem assumunt, nec notitiam CHRISTI integram retineant, cujus omnipotentiam, omnipræsentiam, reliquaq; divina Idiomata carni CHRISTI abnegant, universale ejus meritum, Vocationemq; universalem ad Electos solum restringant, absolutum prædestinationis ac Electionis decretum defendant: Baptismum regenerationis medium non agnoscant, Infantibus ex utero materno sanctitatem attribuant, CHRISTI corpus & sanguinem à terris longissimè remotum in Sacrà Cœnâ præsens esse negent, aliis plurimis eorum erroribus relictis, Fratres utiq; agnoscere nec debemus neque possumus. Verum Deo justo judici committentes, qui utiq; conatibus astuiq; ipsorum suos posuit terminos, tantoq; magis, à societate ipsorum in rebus spiritualibus nos sejungimus, qui ipse Deus etiam quando ipsi placuerit, furorem ipsorum, quo ingratitude multorum jam punit, majori cum severitate reprimet, atq; puniet. Verendum enim ne per hos ipsos ultimum suum furorem emittat, ipse Satan, quem in Poloniâ, Transylvania, Germaniâq; etiam quibusdam locis, Photinianorum absurdissimis dogmatibus conspiciendum exhibuit, quibus ipsis suis dogmatibus, & Divinitatem Filii Dei, & meritum ejus, ac satisfactionem annihilare unicè contendunt, quod jam dudum à Calvinianis particulare, & pro solis electis factum esse defensum est. Dicendum jam porro restaret, anne una tandem Religio, quam aliqui sibi imaginantur, utpotè annis proximis, & quem nominare solent Millesimum sexcentimum vigesimum tertium speranda esset; Tum quoq; quod dicendum præsumpseram, quidnam Philosophia ad Religiones earumq; veritatem conferret: Verum cum prior quæstio, peculiarem orationem requirat, egoq; in hac ipsâ quæstione aliorum audire libentius, quam meam proferre velim sententiam, ideoq; ne Vestrâ Auditores omnium ordinum præstantissimi abuti videar benevolentia, enumeratis jam potissimis Religionibus, Veritate ipsarum ex parte demonstratâ, à mundo condito, ad hæc usq; nostra tempora, finem potius dicendi facio, vosq; omnes mecum Veris ad Deum gemitibus his ipsis periculosis turbulentissimisq; temporibus Deum invocabitis, ut in

verâ

verâ Religionem quam cognovimus, nos porro Clementissimè con-  
 servet. Te igitur Ô CHRISTE JESU, hisce ipsis conclamatis tem-  
 poribus, quibus undiquaque tua oppressa videtur Ecclesia, invoca-  
 mus, ut qui hætenus veram Religionem, verumq; tui, tuiq; Patris  
 cœlestis cognitionem inter nos erexisti, inter nos quoq; κειμήλιον  
 tuum Sacratissimum quod hic Wittebergæ quasi deposuisti, sacrum  
 nimirum verbum tuum ex quo Religionem veram, quo pacto TE,  
 Patremq; unâ cum Spiritu Sancto colere debeamus, addidimus,  
 clementissimè propages. Tu qui fortissimâ tuâ dextrâ destruxisti Ido-  
 la gentilium, qui fortitudinè tuâ semper assististi populo tuo, assiste  
 quoq; porro nobis in potentiâ dexteræ tuæ, Excita & posthac, sicuti  
 & hætenus, inter nos, qui necessariis donis lingvarum, artiumq; in-  
 structi, religionem veram defendant, ac propagent. Assiste Ô Cle-  
 mentissime Deus, fortitudine dexteræ tuæ, Serenissimo ac Potentis-  
 simo Principi nostro DOMINO JOHANNI GEORGIO Electori  
 Saxoniae, &c. Domino ac nutricio Academiae hujus Clementissi-  
 mo, defende ipsius Serenitatem, ut pupillam oculi tui, fac ut quam  
 Serenissima ejus Celsitudo pacem unicè desiderat, ea restituatur  
 afflictissimo tuo cætui, ac communi nostræ patriæ Germaniæ. Con-  
 serva porro inter nos Vincam tuam quam plantasti, neq; concede  
 ut vel unquam Jesuitici Apri, aut Vulpeculæ Calvinianæ aut Tur-  
 carum vis, Photinianorum versutia illam devastent, aut ingredian-  
 tur. Conspiciatur in servis tuis opus tuum, & gloria tua super filios  
 eorum, sit Decor Domini Dei nostri super nos, & opus manuum  
 nostrarum dirigat super nos. Sic lætabimur in te Domine, lau-  
 dabimus & exaltabimus nomen tuum, ex hoc  
 nunc & usq; in seculum.

Dixi.



C 2

SEQUI-

SEQUITUR  
 RITUS CREANDI MAGI-  
 STROS PHILOSOPHIÆ, USITA-  
 tus in Academiâ Witte-  
 bergensi.

**A**D præmissam intercessionem, quam pro Dnm. Candi-  
 datis, Vir Excellentissimus, & Clariss. Dn. AMBROSI-  
 US RHODIUS, Medicina Doctor, & Mathematicum  
 Superiorum Professor publicus, instituit, ex Vitruvio de  
 exstructione templorum in primis Deorum Gentilium eru-  
 ditè dicens

## R E S P O N S U M:

Clarissime Vir, Collega, Fautor, & amice observande,  
 cum satis constet, verissima esse, quæ abs te eruditè & gra-  
 vitè dicta sunt: non libet plura in eam sententiam verba  
 facere. Petitioni autem tuæ eò assentior libentius, quia  
 justum est Viros honestos & idoneos ad docendum publicis  
 testimoniis ornari, ut studia literarum conserventur, Ec-  
 clesie, & Reipublicæ necessaria. Postquam igitur horum  
 XXXIX. CANDIDATORUM eruditionem, atq; inte-  
 gritatem probavit Collegium nostrum, atq; propterea de-  
 crevit, ut titulus & insignia Magisterii Philosophici his  
 conferrentur. Ego quoq; ipsorum honori & dignitati faveo,  
 eosq; promoveri cupio, quod ingenia ipsarum & studia Ec-  
 clesie & Reipublicæ profutura esse spero.

## G R A D U S.

Quod igitur felix ac faustum sit, Ego M. ABRAHA-  
 MUS HEINECCIUS Wittebergensis Saxo, Collegii Phi-  
 losophici Adjunctus, autoritate publicâ quâ in presentia  
 fungor, Triginta novem hos Candidatos Viros Doctos ac  
 honestos in hanc Cathedram collocatos: Te nimirum

MARTI



RITUS CREANDI MAGISTROS.

19

MARTINUM WILDE Lubecensem Saxonem.  
JOHANNEM DOLMANNUM Rigâ Livonum.  
ANDREAM REINMANNUM Bleichrodensem.  
FRIDERICUM SCHÖNINGIUM Stetnensem Pomeranum.  
CASPARUM LÆDER Mansfeldensem.  
HENRICUM ERTMANNUM Lubecensem Saxonem.  
JOHANNEM SCHARFFIUM Kroppenstadiensem Saxonem.  
DAVIDEM MEIBOMIUM Helmstadiensem Saxonem.  
MATTHIAM CORNAPÆUM Chiloniensem Holsatum.  
HENRICUM DAME Flensburgensem Holsatum.  
CHRISTOPHORUM EBERUM Halberstadiensem Saxonem.  
MARTINUM SCHALLERUM Budissino Lufatum.  
ZACHARIAM CRUSIUM Bitterfeldensem Saxonem.  
JOHANNEM CRUSTUM Bitterfeldensem Saxonem.  
JOHANNEM BLUMIUM Wittebergensem Saxonem.  
HERMANNUM ERNESTI Brunsvicensis Saxonem.  
JOHANNEM ZIGLERUM Budissino Lufatum.  
GEORGIUM LILIUM Dresdensis Misnicum.  
GEORGIUM LAURENTII Lippâ Bohemum, Patriæ designatum  
Diaconum.  
SVENONEM FAXELIUM Sveco Vermolandium.  
DAVIDEM GUCKELINUM Ulmensem Svecum.  
LAURENTIUM VALLERIUM Collandia Svecum.  
WOLFGANGUM HÖHNIUM Duderstadiensem Saxonem.  
GABRIELEM GROMANNUM Dresdensis Misnicum.  
SEBASTIANUM STARCK Greufensem Thuringum.  
CHRISTIANUM MEISNERUM Torgensem Misnicum.  
JOHANNEM CHRISTOPHORI Nilosiensem Svecum.  
CASPARUM JAUCHIUM Meinabiensem Misnicum.  
JOACHIMUM SIGFRID Wismaria Megapolitanum.  
WERNERUM HENNINGI Stendaliensem Marchicum.  
ANDREAM ZÜRNERUM Thirsemio Variscum.  
VALENTINUM LAITSCHIUM Torgensem Misnicum.  
JOHANNEM RHODIUM Thirsemio Francum.  
NICOLAUM LANGIUM Colbergensem Pomeranum.

C 3

CHRISTIA



## RITUS CREANDI MAGISTROS.

CHRISTIANUM WALPURGER Freiburgensem Misnicum.  
 DAVIDEM SCHÜTZIUM Fridrischwaldensem Misnicum.  
 GEORGIUM BERGERUM Neostadio Misnicum.  
 JOHANNEM BOHEMUM Freiburgensem Misnicum.  
 PETRUM PLANITZ Ossitiensem Misnicum.

*Vos universos ac singulos initio gradu Bacculaureatus  
 in Philosophia primo, eos scilicet qui eum nondum sunt ad-  
 epti: Deinde verò ex æquo omnes Magisterii gradu, qui est  
 in Philosophia summus, orno, ac in LIBERALIUM AR-  
 TIIUM, & PHILOSOPHIÆ MAGISTROS promoveo,  
 & promotos renuncio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus  
 Sancti.*

PRIVILEGIA, CATHEDRA, LIBRI, PILEI,  
 ANNULI, cur Candidatis concedantur & imponantur,  
 aliundè nota sunt: cumq; solenni in forma singulis semestri-  
 bus à Dnn. Decanis proferantur, hic addere ceu notissima  
 nolui.

Hinc quæstionem proposuit M. MARTINUS WILDE  
 Lubecensis: Num diversæ Religiones in benè constituta Re-  
 publicâ ferendæ sint? Quæstionem solvente Excellentissi-  
 mo & Clariss. Dn. JACOBO MARTINI, tunc Logica ac  
 Philosophiæ practica, nunc SS. Theologiæ Licentiatæ &  
 Professore publico.

Gratiasq; pro more egit M. JOHANNES DOL-  
 MANNUS Rigâ-Livonus.

DECA-

DECANUS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA  
Wittebergenſi,

M. ABRAHAMUS HEINECCIUS WITTEBERGENSIS, COLLE-  
gii ejuſdem Adjunctus,

*CANDIDATIS Philoſophiæ ſalutem.*

**P**HILOSOPHIAM & reges magnificiſſe, & Principes excoluiſſe, & per illam regna ſua rectè adminiſtraſſe, hiftoriarum monumentis clarum eſt; Idq̄ve patet in Alexandro Macedone, Julio Cæſare, & Ptolomæo, aliisq̄ plurimis, quorum regna gloriaq̄ tam diu accreverunt, quam diu artium liberalium ſtudiis dediti fuerunt. Hinc Alexander Macedo, Homeri Poëmata, lectum ſe conferens non depoſuit. Julius Cæſar res ipſas à ſe geſtas eruditiffimè conſcripſit. Ptolomæus conquirendis variis Philoſophorum ſcriptis operam maximam impendit, ut qui cognoverint prudentiam ſolam eſſe, quæ Reſpublicas beatas facere, & ſervare poſſit. Quod ſi ergò Reges ipſi ac Magnates tanti Philoſophiam fecerunt, quantum magis inferiori genere nati, qui non modo prodeſſe communi ſocietati, ſed inter homines quoq̄ honeſtum vitæ ordinem obtinere cupiunt, ipſam magnificiant; quippè quæ non ſolum ipſis, ſed omni vitæ generi utilitatem præſentiſſimam affert. Quamquam enim ſuperiores facultates, quas vocamus, THEOLOGIA, JURISPRUDENTIA, ac MEDICINA Philoſophiâ præſtantiores merito judicentur, adeoque ab omnibus ſummo habeantur in precio, ut ſine quarum cognitione, nec religio vera doceri, nec juſtitia adminiſtrari, neq̄ humano in corpore ſanitas conſervari, amiſſaq̄ reſtitui poſſit: harum tamen notitiam nemo feliciter abſq̄ Philoſophiæ ſtudio ſibi comparare poterit, maximè cum & poſteriores duæ fundamenta ſua ex Philoſophiâ accipiant, & ab omnibus approbata ſit ſententia, quòd ubi Ethicus deſinat, ibi Jurifconſultus incipiat, ac ubi finiat Phyſicus,  
ibi

ibi initium sumat Medicus. Quocirca præposterum illorum est iudicium, qui eum ad superiores adspirare facultates contendunt, Philosophiam aut planè negligunt, aut dum Philosophiæ Doctores ac Magistros contemserint, palmam sese obtinuisse existimant. Philosophiam potius ejus, quam diximus, utilitas omnium facultatum Studiosis commendat, honorq; qui olim exhibitus Philosophis studium ipsius evehit, laboresq; in hæc studia insumendos immittit. Neq; enim, ut Thales Milesius suo exemplo ostendit, Philosophia ad divitias comparandas inutilis, utut hodie artes bonæ frigeant, & optimarum rerum literarumq; amor langveat. Accedit insuper summa ipsius jucunditas, unde nil scientiâ optabilius, nil præstabilius, nilq; homine ingenuo dignius judicatur. PHILOSOPHIA verò studium scientiæ est, quod nomen ipsum indicat. Cum enim hæc artes humaniores, loquendi dicendiq; præsupponat peritiam: ita si METAPHYSICÆ spectemus sublimitatem, MATHEMATICARUM disciplinarum certitudinem, PHYSICÆ varietatem, singula isthæc animum hominis ad se trahunt, ut homo quasi sui oblitus, totus illis inhiet adeoq; in iis summam agnoscens Dei bonitatem & scientiam, eâ ipsâ nil pulchrius æstimet, delectationes firmitate & puritate admirabiles in ipsâ deprehendens. Præterea Philosophia & vitam hominum informat, ut non modò vivat homo, sed & benè vivat, nec tam legum metu, quam rectæ rationis ductu id quod justum est, faciat. Hinc igitur ETHICA non solum bonum practicum, quod in vita civili homini potest obtingere, proponit, sed & media ipsa præscribit, quibus ad illud ipsum viâ haud præcipiti pervenire queat. POLITICA verò ac OECONOMICA societates inter homines firmas illibatasq; conservat, ut sic verè Philosophia nil divini nilq; humani incognitum relinquat, prout naturæ ductu, cognosci hæc possunt, & ad superiora viam aptissimam, tutissimamq; præparat. Itaq; non tantum pro conservatione istorum studiorum Deum oremus, sed quantum quisq; poterit, ea ipsa etiam, quippe quæ radios suos ad singulas facultates spargunt, promovere studebit. Ut enim diruto fundamento tota domus corrui; ita labentibus lingvarum ac Philosophiæ studiis, quicquid unquam veræ solidæq; esse, nominariq; poterit scientiæ, collabi atq; perire, necess-

necessum est. Quocirca non modò, uti dictum est, Reges, Magnatesq; Philosophiam excoluerunt, sed Philosophos quoq; honorum titulis ac immunitatibus exornarunt, quo sic gloriã accensi alii, ad eadem tractanda, continuandaq; studia tantò ferventiores essent, cum quod vulgò dicitur: Honos alat artes, & immensum gloria calcar habeat.

Atque adeò ut illi ipsi qui hactenus ea ipsã metã in stadio disciplinarum Philosophicarum decurrerunt, utilitate jucunditateq; ejus ducti, studio indefesso ipsi operam dederunt, laborum quoque suorum accipiant præmium, dignusq; honor Philosophiæ cultoribus attribuatur, quem nemo hactenus nisi Philosophiæ ignarus, aut fastu nescio quo tumidus, contemnere ausus est, Collegium Philosophicum paucas post septimanas bonarum artium indefessis cultoribus summum in Philosophiã gradum, quem **MAGISTERIUM** vocamus, distribuet. Cumq; unanimi Collegii Philosophici suffragio, brabeuta, p. t. honorum istorum electus fuerim, singulis ac Universis, qui Philosophiæ sacris initiati sunt, inq; iis eos sibi profectus compararunt, ut examina tam privata quam publica subire non vererentur, **HONORIS** jam quasi templum aperio, & ad examina Candidatorum Philosophiæ usu recepta, & ad honores istos adqvirendos invito, singulis qui sua apud me profitebuntur nomina non modò benevolentiam ac favorem spondens, sed uti totum Collegium Philosophicum honoribus ipsorum favet, ita quoq; singuli deprehendent, neque me, neque Clarissimos Dnn. Professores ac Collegas, quicquam intermissuros, quod ad honoris ipsorum incrementum faciat. P. P. Festo **JOHANNIS**  
**ANNO M. DC. XX.**

D

DECA-



## DECANUS COLLEGII PHILOSOPHICI IN ACADEMIA

Wittebergenfi,

M. ABRAHAMUS HEINECCIUS WITTEBERGENSIS, EJUSDEM-  
que Collegii Adjunctus S.P.



Uam pessimus quisque sibi Magister sit, si vel semper  
domi lateat, neque unquam in publicum progredi-  
atur, aut cum aliis de studiis suis conferat, multo  
proprio suo damno deprehendunt, quos rusticus  
sape pudor, non inscitia, neque ignorantia loqui prohibent.  
Quamquam enim ea animi nostri vis sit, ut si ipsa in con-  
templationem rerum pervenire debeat, in seipsum quasi de-  
scendat, adeoque non externis objectis advocetur, neque etiam  
circumstrepentibus clamoribus impediatur, sed loca maxi-  
me tranquilla et solitaria requirat: Hac ipsa tamen quae  
hoc pacto contemplando, inque se quasi retrogrediendo co-  
gnoverit, ut cum aliis conferat, neque sibi soli sapiat, sed com-  
muni societati inserviat, necessarium est, maxime cum juxta  
Aristotelem lib. 1. Polit. cap. 2. ο μη δυνάμειον ουκ ωϊεν, η μη  
δεν δεόμειον δι αυτ' αγειαν, η δεν μισε τον λαον ο εν ημε, ου η δε.  
Rectissime igitur illi faciunt, qui ad verum eruditionis cul-  
men aspirant, et ad honestam in vita civili locum conten-  
dunt, ne vel nimia timiditate, vel etiam nimia audacia sibi  
obsint, non nimium sese abjiciendo, aut congressus Academi-  
cos devitando, neque nimium sibi attribuendo quodcumque mu-  
nus humeris etiam suis majus suscipiant.

Laudabili praeinde instituto Majores nostri illis, qui  
honores in Philosophia summos appetunt, examinatae  
privata quam publica subeunda proposuerunt, ut quibus co-  
gnitissimum fuerit, in publicis examiniibus consistere vix  
posse.

## PROGRAMMA SECUNDUM.

25

posse, quorum antea profectus privatim non explorati fuerint, quodq; ad honores illos summos admittendi non sint, qui non antea virtutem eruditionemq; suam privatis publicisq; examinihus iis, qui de illis judicare poterunt, comprobaverint. Quocirca cum ipsa privata examina haecenus Viri juvenes & eruditione & morum honestate Ornatissimi, Philosophiae Candidati numero XXXIX. subierint, illorum profectus itidem ut triduo hoc in sequenti publice explorentur restat. Quâ de causâ triduo hoc in sequenti, Philosophiae Doctoribus ac Magistris potestas erit cum Candidatis hisce Philosophiae, placido & amico examine conferre, obq; id singuli eâ quâ par est reverentiâ rogantur, ut in honorem Collegii Philosophici, & horum ipsorum Dnn. Candidatorum, in auditorio Medicorum, horis pomeridianis convenire, cum Dnn. Candidatis placide conferre, illorumq; profectus, quos haecenus privatim laudabiles Examinatoribus constitutis exhibuerunt, amicâ collatione experiri velint. Quod ipsum officium si impetravero, non modo Dnn. Candidati id ipsum grato animo agnoscent, sed & ipse vicissim singulis debitam observantiam ac studia polliceor. P. P. Die X.

Calend. Octob. ANNO

M. DC. XX.

D 2

LOGH



# LOGICÆ AC METAPHYSICÆ STUDIO SIS S.

**R**atio, quâ homo creaturas quasvis in hoc Mundo etiam pulcherrimas, utpote Cœli stellarumq; corpora lucidissima, Elementorum subtilissima, plantarum, volucrum, reliquorumq; animalium admiranda, vincit, intelligendoq; superat, à DEO Creatore, ipsi unâ eum animâ inspirata, tamq; perfecta primis parentibus concessa fuit, ut non modò res quasvis extra se positas intelligendo assequi, sed & modum intelligendi seu ratiocinandi commodissime exequi, & absq; hallucinatione in dijudicando progredi potuerint. Duas siquidem in primis operationes insignes Intellectus, adeoq; rationis humanæ conspicimus, alteram quidem quâ assimilando potest fieri omnia, dum & seipsam, & omnia extra se posita intelligit, illorum imagines recipit, sensibusq; etiam omnibus quasi remotis, licet non absq; beneficio sensuum conceptas, sibi præsentissimas habet, & quandocunq; vult, de illis dijudicare, ac ratiocinari potest. Huic verò similis, & si non æquè præstans, non multum tamen inferior altera est, (cum & generalior, nec ad certum ita objectum restricta sit) quæ generalissimis notionibus adjuncta, modum discurrendi & ratiocinandi præscribit ac demonstrat, absq; quâ etiam repertus homo nullus est, ut ut suam in intelligendo cœcitatem, & dijudicando imbecillitatem, jam modò à parentibus contractam fateri cogatur. Cumq; officium hominis à Deo creatore, cujus etiam causa in Amphitheatrum hoc est repositus, maximum & unicum sit, DEI factoris sui, sui-ipsius, & creaturarum reliquarum, quæq; ab his naturales, voluntariæq; actiones proveniunt, cognitio: elegantissimo sanè & perfectissimo instrumento, humanæ imperfectioni, DEUS omnis sapientiæ autor succurrere voluit, dum per residuas in primis parentibus perfectionis, sapientiæq; connatæ particulas, ad posteros propagatas, longoq; usu, diuturnâ experientiâ, & multorum Exemplorum observatione, confirmatas, certam aliquam disciplinam, quæ ratiocinandi modum perfectè proponeret, LOGICAM nimirum, ab ipsa ratione dictam concesserit, eamq; ad inventam posteris exornandam dederit, exindeq; præter VERBUM cœlitus à Spiritu San-

tu San-



tu Sancto in corda Prophetarum & Apostolorum dimissum, literarumq; monumentis consignatum, scientias & disciplinas, numero plurimas ac sufficientissimas communicavit. Inter quas disciplinas Philosophiæ circulo comprehensas, quæ & quanta sit METAPHYSICA, ex usu sanè singulis illis, qui eam cognoverunt perspicuum est, totiesq; illa commendatur, quotiescunq; de rebus Philosophicis sermò agi animadvertimus, ita quoq; ut & ab illis, qui eam peculiari operâ non addiderint, adhiberi tamen deprehendamus, eademq; de causâ à doctis quibusvis tantò major æstimatur, quantò non dicam universaliori conceptuum explicatioue, (circa enim primas causas, primaq; principia versatur, teste Aristotele l. i. Metaph. c. i. & τὸ ὄν ἢ ὄν considerat 3. Metaph. c. i.) sed & utilitate, aliis præest atq; succurrit.

Cùm itaq; singulari ex providentiâ divinâ, Serenissimi ac Potentissimi Principis ac Domini, Dn. JOHANNIS GEORGII, Electoris Saxoniae &c. Domini mei Clementissimi, autoritate, LOGICÆ, tumq; simul METAPHYSICÆ Professio publica benignissimè mihi concessa fuerit, quamvis ego muneri isti sim impar, bonorum tamen consilio, munus quod & divinâ voluntate, & supremi Magistratus autoritate mihi demandatum, suscipiendum fuit.

Ad lectiones quocirca, operasq; publicas cum DEO accessurus, cum quidem utraq; disciplina simul iisdemq; horis proponi non possit, alteram publicè, alteram privatim, horâ quâpiam commodâ, mutatis vicibus proponere decrevi, & cum paucas ante septimanas METAPHYSICAM privatim tractare inceperim, operarum publicarum initium à prælectionibus LOGICIS faciam, eâ nimirum disciplinâ, quâ carere nemo potest hominum, quâ omnes utuntur, etsi non omnes à Magistro eam didicerint, tantò verò perfectiùs illi, qui præceptis ejus informati, edoctiq; fuerunt. Quanquam verò & autorum immensus sit penè numerus, qui Logica præcepta conscripserunt, alii etiam novitatis studio, alios superare allaborarunt: tamen nec laboris nec temporis jacturam nos facturos confido, si ex plurimis optima colligamus, & cum Auditoribus communicemus, eâ Methodo quæ & naturæ maximè conveniens, veritatiq; maximè conformis, usuiq; qui in disciplina hac Instrumentali potissimus, accommodatissima sit. Et cum non quidem simul omnia proponi possint,

sint, nî ingratâ aliquâ prolixitate Auditores detinere velim, ideoq; eò laborabo, ut pro viribus, quas Deus clementissimè concesserit, necessariis, potissimisq; fundamentis ac præceptis propositis, & declaratis, Usûm ipsum LOGICÆ in Analyfi sacrorum interdum textuum, profanorumq; scriptorum Epistolis, ac sententiis, tum quoq; in Genesi Syllogisticâ, Definitionum, sententiarumq;ve, Epistolarum ac Orationum efformatione commonstrem, siq; Auditorum conditio & diligentia permiserint, Canones insuper, Distinctiones, ac potissimas Controversias simul pertractem.

Antè omnia verò cum pro more, Statutisq; Academiæ, imò ipsâ honestate ita jubentibus, telam hanc ab Oratione quâpiam exordiri debeam, laudabili huic instituto, quamquam dicendi minus peritus, obtemperaturus, craftinâ cum Deo luce, horâ IX. matutinâ, in Auditorio Majori, orationem minus quamvis exornatam, de Themate tamen & utilissimo, & jucundissimo, nimirum de SAPIENTIA OMNIA OPERANTE recitabo, ad ejusq; auscultationem, Viros Reverendos, Amplissimos, Excellentissimos, atq; Clarissimos Dnn. Professores & Collegas, sapientiæq; cultores omnium ordinum Præstantissimos, Nobilissimos, Doctissimos, peramanter, quâq;ve par est reverentiâ invitatos volo, operam daturus, ne hujus horulæ quempiam poenitere possit.

Prælectionum autem *Συμθεω* initium faciam ad diem Jovis proximum, horâ matutinâ VII. in Audit. Majori, cumq; juxta Poëtam:

*Excitet Auditor studium, laudatâq; Virtus*


*Crescat:*

Vos quoque, qui mente jam dudum Vestrâ de LOGICÆ necessitate ac utilitate persuasi estis, vestrâ & benevolentia, & diligentia, mihi aderitis, meisq; conjunctis votis Deum invocabitis, ut ipse nos doceat, & incrementum det laboribus nostris: ego quoq; quæ fidelitatem ac diligentiam meam concernent, pro talento mihi confesso, in me desiderari nil patiar, siq; non omnibus, aliquibus tamen ut prodesse possim, bonorumq; favore adjutus, ut Auditores discendo, ipse docendo, in hisce studiis magis atq; magis proficiamus, studebo. Valete. P.P. Dominia XIII. post Trinitatis, Anno salutiferi

partus M. D. C. XXIII.

ORA

ORATIO PANEGYRIS IN  
INGRESSU PROFESSIONIS  
publicæ instituta.

 Athedram hanc, Rector Magnifice, Viri admodum Reverendi, Consultissimi, Experientissimi, Spectatissimi, Clarissimi, Præceptores, Collegæ, fautores, & amici honorandi: Vosq; Auditores reliqui omnium ordinum Juvenes, Viriq; Nobilissimi, præstantissimi, Doctissimi: Cathedram hanc dum conscendo, vestrumq; confesum splendidum intueor, ac de materiâ vestris auribus digna verba facturus cogito, cum Jacobo Patriarchâ initiò sanè exclamandum dicendumq; mihi venit: Minor sum Domine Deus cunctis Miserationibus tuis, & veritate tuâ quam fecisti cum servo tuo: Et cum Hannah matre Samuelis Prophetæ: Jehovah mortificat & vivificat, descendere facit ad inferos & ascendere facit: Cumq; Plato Philosophiæ Academicæ Princeps referentibus nonnullis Historicis, ob tria Deo suo singulares quotidiè egerit gratias: Quod Græcus non Barbarus natus esset; quod mas non fœmina; quod Athenis & non alibi natus fuisset. Nos quidem qui scimus Marem & Fœminam à Deo creatos esse, ut fœmina viri sit adjutorium, inq; CHRISTO JESU neq; mas neq; fœmina aliquid valeat, hoc tamen cum ipso etiam Ethnico Philosopho meritò inter maxima Dei beneficia initiò numeremus, non quidem quod Græci, sed quod Christiani, in Ecclesia CHRISTI, non extra ipsam Barbari nati simus. Egò verò peculiaris hoc beneficii loco, cum concivibus meritò de prædico, quod hic Wittebergæ, quæ seminarium omnium bonarum artium, puriorisq; Lutheranae religionis, natus fuerim, cumq; parentibus quidem rei alutarie addictis, inter eos tamen, quibus noti honestæ famæ, genitus fuerim: Eorum operâ pietatis Christianæ fundamenta domi addiscere, eorumq; postmodum sumptibus, privatorum præceptorum curæ, scholisq; committi potuerim, in quibus unâ cum bonis artibus, Religionem Lutheranam, vereq; Christianam cognoverim. Cumq; Reverendi admodum, &

in.

in æternum celebrandi Theologi Dn. D. ÆGIDII HUNNII, beatæ recordationis consilio, literarum sacris destinandus eram, paternis sumptibus eò usq; dum anno abhinc decimo gradum Magisterii sumpserim, studia pertractare potuerim. Quod igitur Plato sibi de Athenis: Ego cum concivibus de Wittebergâ hac meritò congratulari nobis possumus. Insuper verò & ante omnia meritò de prædico, quod eum clade quidem studiorum meorum præsentissimâ, parens cujus sumptibus sustentabar, eodem anno, cum jam honores in Philosophia summos sumpseram, hac ex mortalitate avocabatur, manum tamen suam non detraxerit Divina benignitas, sed & post parentis obitum, porrò Mœcenates, Patronosq;ve, ceu alteros parentes clementissimè mihi concesserit. Non enim modò præceptorum meorum singularem favorem, & curam fidelem in pluribus percepi, verùm & ipsorum commendatione, Electorales inter stipendiarios ascriptus fui, atq; insuper Senatus quoq; oppidani munificentia, studia quoq; mea stipendio munifico per quadriennium adjuta fuerunt. Commemoro hæc ut Divinæ bonitatis indicia, & ut gratæ mentis *τεμνήσα*. Successit hinc quoq; spectatissimorum atq;ve Clarissimorum Dominorum Professorum Collegii Philosophici favor & benignitas, qui non modò habitâ disputatione publicâ, potestatem privatim legendi & disputandi mihi concesserunt, sed & elapso quadriennio, postquam Magisterii gradum obtinueram, Adjunctum Collegii sui me asciverunt, favore etiam singulari anno vigesimo proximo, DECANUM Collegii sui me constituerunt. Omnia isthæc bonorum in me collata beneficia à Deo quoq; profecta, pro his & Deo Clementissimo, & ipsis gratias maximas meritisq; ago. Successit insuper Venerandi Collegii Theologici, ergà me indignum quamvis, singularis benevolentia, quorum non modo lectiones publicas cum aliis per plurimis adire licuit, verum consiliis paternis, privatisq;ve, familiari concessio aditu, vivendi, studendiq; rationem adjuvârunt. Bonitatis hæc Divinæ sunt beneficia longè maxima, quæ si non gratâ mente agnoscerem, si non gratias Deo benignissimo, illisq; ipsis agerem, ingratis simus sanè omnium essem. Et dum Ethnicorum Discipuli gratitudinis loco Præceptoribus suis sese ipsos obtulerunt, munere Præceptoribus non ingrato, en ego quoq;

quoque vobis Viri Venerandi, præceptores honorandi, totum me  
 consecro, vestra beneficia in me collata non modò deprædicabo,  
 sed & Deo omnis boni fonti quotidiè pro hisce gratias agam, vestro-  
 rumque pro incolumitate ipsum precari non desinam. Continuavi  
 ergò hoc pacto studia mea tum Theologica tum Philosophica pri-  
 vatim legendo, disputando, aliisque inferviendo ad annum usque vi-  
 gesimum octavum, quo cum studia mea Academica finire decreve-  
 ram, semestrique peregrinatione colophonem illis quasi addere, En-  
 nova & quæ in totâ vitâ longè fuit, atque fuerit precor, maxima sese  
 offert Calamitas, dum morbo animi maximo correptus, continuis  
 multarum septimanarum insomniis & vigiliis defatigatus, viribusque  
 corporis etiam debilitatus, non modò à proposito meo impeditus,  
 sed & de restitutione sanitatisque recuperatione non pauci dubita-  
 runt. Verùm nec hic finè terminumque sibi Divina posuit benignitas,  
 qui dum ad inferos me quasi detruserat, morboque tum falsâ mentis  
 persuasione, tum vitâ solitariâ contracto, me liberavit & ex inferno  
 quasi reduxit, piorumque preces pro me quoque factas clementissimè  
 exaudivit, Medicorumque curis quam diligentissimis benedixit.  
 Hanc tuam benignitatem ò Domine Deus deprædicabo in seculum  
 seculi, propter iniquitates meas flagellasti me, circumdederant me  
 dolores, Mortis & angustia Inferni invenerant me, angustiam & do-  
 lorem inveneram: At Misericordiâ tuâ iterum reduxisti me, & ne  
 profundâ tentationum abyssu abriperer eruisti me: Extollam te De-  
 um meum, & animo meo te Regem cœli tuamque bonitatem, ac Ma-  
 gnificentiam quam diu vixero efferam. Sed quid jam vos Patres A-  
 cademici! per te Virum Amplissimum & Consultissimum Dn. JE-  
 REMIAM REUSNERUM Juris utriusque Doctorem & Rectorem,  
 hujus Academiae pro tempore Magnificum; tuisque sapissimè consi-  
 liis, consolationibusque suavissimis, Reverende admodum, & Excel-  
 lentissime Dn. Doctor BALDUINE, imò vestrorum omnium pa-  
 tres Academici honorandi suffragio, bonitatem Divinam calitus  
 denuo me respexisse, dum vestro in confesso ad professionem Aca-  
 demicam, *Serenissimo ac Potentissimo* ELECTORI Saxoniae &c. Domi-  
 no nostro Clementissimo denominor, agnoscere debui: quique ipse

E

aliud

aliud quasi agens, ut vel aliquid egisse viderer, literis pro more supplicibus monitu Excellentissimi Dn. Doctoris GREGORII NYMANNI, Academiae oblatis, tuo Reverende admodum & Excellentissime Dn. Doctor MEISNERE consilio instigatus, ut hinc ipse ad aulam Electoralem me conferrem, hoc quicquid viae ne plane mihi deesse viderer, de sparta tamen hac consequenda sane non cogitans, suscepi, obque absentiam tum temporis, Magnifici ac Reverendissimi Dn. D. MATTHIAE HOË ad Consistorialem confessum non admissus, ut qui intempestive inopportunoque tempore accessissem, dimittebar, non tamen absque singulari Magnifici atque Amplissimi Dn. D. LEONHARDI KOPPELII, Reverendi itidem, atque Excellentissimi Dn. D. AEGIDII STRAUCHII, Amplissimi itidem atque Consultissimi Dn. D. PAULI NICOLAI Electoris Saxoniae Consiliariorum Ecclesiasticorum humanitate atque benevolentia, quibus ipsis Deum mecum quasi loqui, animumque meum abjectum quodammodo erigere voluisse cognoscere licuit. En enim, vix dum domum reversus fueram, Electore Clementissimo Dresdam reverso, re in Consistorio superiori Ecclesiastico, praesente atque per plurimum adjuvante Magnifico ac Reverendissimo Dn. D. MATTHIAE HOË, approbante Serenissimo Electore, ad Professionem Logicam, in Academia hac confirmor, literaeque confirmatoriae Electorali manu subscribuntur, dumque de his nihil cogitarem, die vigesima Mensis Julii, eae ipsae literae Wittebergam deferuntur, hancque ipsam professionem mihi demandatam, per amicos significatur. Hoc igitur munus est cujus causa Cathedram hanc conscendi, in quo ipso te Deum meum, mei quoque curam adhuc non abjecisse intelligere potui: Hoc ipsum munus est, quod nullam propemodum meam curam, sed tuam divinam vocatione o Domine Deus mihi obvenisse firmiter certaque animi persuasionem concludere possum. Quamquam enim (nil hic falsi profero) non semel tantum, sed aliquoties mente hic plane dubius haeserim, num suscipienda haec ipsa esset Professio, aut potius subterfugienda, postremum hoc cogitationibus variis animum meum percellentibus, imò non modo svadentibus, sed pene cogentibus. Succurrebat enim quam saepissimè οὐδὲν αἴτιον illa gravissimam quam jam ad annum propemodum conflictatus fueram,

quique

quique ipse de me ipso nihil nisi sinistra quavis suspicari ominarique  
 poteram. Accedebat insuper professionis eminentia, qui saepis-  
 simè revolvebam, quantum esset professorem agere publicum idque  
 in tam celebri laudatissimaque Academia quae per totam Europam  
 celeberrima. Metum injiciebat virium tenuitas, cujus equidem mi-  
 hi probè sum conscius, meoque me modulo lubentissimè metior:  
 Nominis tui insuper splendor & claritas Excellentissimè Dn. JA-  
 COBE MARTINI SS. Theologiae Licentiate & Professor dignissi-  
 me, cujus in Professione Logicâ ac Metaphysicâ successor designa-  
 tus fueram. Hæc perpluraque alia quae singula, ne cum tædio vestro  
 faciam enarrare nolo, animo meo non modo saepè succurrerunt, sed  
 & eundem penitus totum obruerunt, ac perverterunt, ita ut de sta-  
 tione demandata cedendum potius, quàm illam ipsam assumendam  
 concluderem. Ne dicam quòd & digniores inveniri potuerint, qui-  
 bus hæc demandari potuisset professio, cumque honoris comes sit in-  
 vidiâ, ne eadem supprimerer, metu perculsus fui. Et sanè ipsos hosce  
 Arietes, fortissimum etiam quemvis animum consternere posse, qui-  
 cumque his ipsis cum cogitationibus vel semel conflictatus fuerit,  
 mecum credo non diffitebitur, succubuissem hisce & ipse, nisi post-  
 modum & præceptorum & amicorum erectus in hisce fuisset con-  
 siliis. Eximendæ cogitationes istæ fuerunt animo vanitasque earum  
 agnoscenda, vicitque tandem eas omnes, tentationes bonitatis tuæ  
 Clementissimè & benignissimè Deus, in me collatæ & nunquam à  
 me satis prædicatæ consideratio, huic bonitati tuæ mea nil debuit  
 præscribere infirmitas, spes quin potius firma concipienda, eam vi-  
 res concessurum, ut & huic demandato muneri, si non cum omni-  
 um, aliquorum tamen fructu præesse possim: Tentandumque potius  
 demandatum esse laborem, quàm abjiciendum boni judicarunt, ne  
 forsitan limites misericordiæ & bonitati tuæ Domine Deus ponere  
 viderer. Si que digniores aliqui, qui administrare istam potuissent pro-  
 vinciam, cum ego equidem nullius promotioni honori que invidiam,  
 neque etiam alio quocunque modo impedierim, absque dubio Deus  
 ipsos ad majora conditionesque lautiores reservavit, quæ ex animo  
 ipsis apprecor. Neque etiam tantopere invidiam metuere debui, ut  
 qui alta petat, me verò minimū suæque tenuitatis conscius tantope-  
 re non

re non latura sit, quin potius invidiam virtute; malum bonitate; favore ocores, vincam spe precibusq; Deum. Splendorq; nominis tui Vir Reverende & Excellentissime Dn. JACOBE MARTINIUR qui à me adaugeri non potest, ita tamen ne imminuatur operam dabo laboresq; mei à tua Reverendâ Dignitate non parum adjuvabuntur, si quod non verbis modo promissisti, sed petenti obtulisti, imò reipsâ declarasti, auxilium consiliūq; porro in professione hac, tam laudabiliter à te gesta, subministraveris. Imò cum à vobis omnibus viri Excellentissimi, Professores omnium ordinum Clarissimi, dem penè mihi promittere poteram, tantò in suscipiendâ hac Sparta factus sum animosior: à vestraq;, Studiosi & commilitones præstantissimi ac Doctissimi, qui dum morbo conflictatus non parum mecum condoluistis, & ad Exercitia revertenti vestrà præsentia affuistis, sperare id ipsum possim benevolentia. Quin igitur exclamem: O Domine DEUS JEHOVAH minor sum cunctis miserationibus tuis & veritate tuâ quam fecisti cum servo tuo: Tu quod incepisti in me bonum porro perficias, quiq; ex inferis me reduxisti, & pedes meos collocasti in petram Salutis, dextrâ & robore potentia tuæ, sapientiaq; tuâ, quod seriâ cum animi fiducia peto, mihi aderes. Cæterum cum Professionis à Serenissimo ac Potentissimo Electore Saxonie Domino ac nutritio meo Clementissimo, mihi benignissimè demandata, tela oratione quapiam incipienda sit, statutisq; Academia in his quoq; mihi obediendum fuerit, quanquam & balbutientiam, infantiamq; in dicendo, quodq; dicendi facultas aut tenuis admodum, aut penè nulla mihi sit probè sciam, ne tamen tergiversando laborem subterfugere, aut de vestrà in auscultando cum ejus ipsius gratiâ hic confederitis benevolentia dubitare viderer, fretus divino auxilio, molem hanc aggredior, deq; themate & professione meâ commodo cogitans, & quod quidem confessui huic vestro Splendidissimo satisfacere posset, si modò & Oratorem eloquentia prudentiaq; pollentem invenissetis, quo tamen ansam excolendi vel ulteriorem mihi sumerem, vel etiam aliis relinquerem, en de SAPIENTIA OMNIA OPERANTE brevi rudiq; oratione, per semihorulæ spacium dicere decrevi, inq; eo ut benevolas, Rector Magnifice, Viri Reverendi, Amplissimi, omniumq; ordinum Clarissimi



fimi ac Præstantissimi aures præbeatis, quæ par, quæq; possum, quæq; ipsimet vultis subjectione precor, facturus si non orationis gravitate, aut jucunditate, brevitate tamen, materiæq; dignitate gratiam vestram subeam.

Sapientia itaq; Auditores omnium ordinum Excellentissimi, Clarissimi, Præstantissimi, cujus juxta Menandrum *ἡ ἐστὶν ἡ ἡμεῶν τιμὴ ὅτι ἐστὶν*. Et de quâ ut Lucretius cecinit:

*Nemo valet verbis tantum nec fingere laudes*

*Pro meritis ejus, mortali corpore cretus*

*Nemo potus dignum pollenti pectore carmen*

*Condere, ut ipsa petit Majestas cognita rerum.*

Neque enim summis Philosophorum, omniumq; hominum, recto modo rationis judicio utentium encomiis deprædicata & laudata omni tempore fuit; Sed ipse Deus Spiritus Sanctus in Sacris literis Sapientiam commendaturus omni creaturæ ipsam præfert: *Non enim novit, inquit, homo pretium ejus, non dabitur aurum obryzum pro ea, nec oppendetur argentum in commutatione ejus. Non confereitur tinctis India coloribus, nec lapide Sardonycho preciosissimo, vel Saphyro. Non æquabit eam Aurum & Adamas; nec permutatio ejus erit vas Obrizi, Coralli & Gabis non commemorabitur, & preciosior est sapientia margaritis. Non æquabit eam Smaragdus Æthiopiæ, in auro puro non æstimabitur.* Hæc etiam tanta à Rege Salamone æstimata fuit, ut cum ipsum Divina apparitione per somnium Deus alloqueretur, *Postula quid vis ut dem tibi*, ipse non dies multos, non divitias, non animas inimicorum suorum petierit, sed cor intelligens, ac docile petierit, quod inter bonum & malum judicare & discernere possit, votiq; etiam sui compos factus, eò quod sibi sapientiam postulaverat, non modò Deus dedit ipsi cor sapiens & intelligens, in tantum ut nullus similis ipsi antè fuerit, nec post ipsum secuturus sit, insuper vero & divitias & gloriam quæ non postulavit ipsi dedit, ut nemo fuerit similis ipsi in Regibus cunctis retrò diebus: Quapropter confertur etiam sapientia ejus cum sapientiâ omnium filiorum Orientalium & Ægyptiorum, imò quod sapientior fuerit cunctis hominibus, Ethan Esraitæ, & Heman, & Calchol, & Dardam filiis Mahol, fueritq; nomen ejus in omnibus gentibus per circuitum: Locutusq; fuerit tria millia parabolarum, &

canticorum ejus fuerint quinque & mille. Disputavit insuper super lignis à Cedro quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, & differuerit de jumentis, & volucris, & reptilibus, & de piscibus: Venerintque ex omnibus populis ad audiendam Sapientiam Salomonis, ab universis regibus terræ qui audierint sapientiam ejus. Cumque ingrederetur Regina Sabæ multò cum comitatu, & divitiis, camelis portantibus aromata, & aurum infinitum nimis, & gemmas preciosas ad tentandum Salomonem in anigmatibus, indicavit ei Salomon omnia verba ejus, nec fuit verbum ullum absconditum à Rege quod non indicaverit ei, adeò ut Regina magnitudine Sapientiæ Salomonis commota, tandem exclamarit, *verus est sermo, quem audiui in terrâ meâ super sermonibus tuis, & super sapientiâ tuâ & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probavi quod media pars mihi annunciata non fuerit: Major est sapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui. Beati viri tui, & beati servi tui hi qui stant coràm te semper audientes sapientiam tuam.* Eoque pacto legimus Græcorum Philosophos ob sapientiæ acquisitionem longissimè remotas regiones accessisse: Plato Memphim Ægypti adiit, ad audiendam sapientiam Ægyptiorum, & si quis accuratam definiendi rationem ipsi subministraret, quod ejus vestigia tanquam Deum sequi vellet, sæpius professus est: Sic & Italiam ipse discendi causa adiit, & in Siciliam ter quò Reipublicæ administrationem inibi florentem addisceret, profectus est. Nec minus reliqui Græciæ Philosophi, Anaxagoras, Anaximenes, Alcinous, Asclepiades, Apulejus, Alcmeon, Archimus, Anaximander, Carneades, Crantor, Cleanthes, Clytomachus, Chrysippus, Democritus, Diogenes, Diophantes Syracusanus, Empedocles, Epicurus, Heraclitus, Leucippus, Marinus Platonius, Parmenides, Philolaus, Xenophon, Xenocrates, Xenophontes, Zeno, & quicumque majorum gentium Philosophi fuerunt alii, Sapientiæ causâ peregrinationem instituerunt. Ipsumque Aristotelem ut Euripi septies decurrentis, recurrentisque per diem incrementa ac decrementa addisceret, ad augustias maris profectum fuisse, cumque non pernoscere, & dijudicare potuisset, in mare se præcipitasse, ut ab Euripo caperetur qui Euripum capere non potuisset, nonnulli referunt. Ipseque Cicero filium suum Athenas

ad

ad Cratippum audiendum misit, ut ex initio *lib. 1. offic.* colligitur, Totâq; Græcia ob septem illos sapientes, Thaletem, Solonem, Perian-  
 drum, Pittacum, Chilonem, Biantem, Cleobolum, fuit celeberrima. Nec quidem dubium utriusque omnis Sapiencia tam Divina-  
 rum quam humanarum rerum, à Patriarchâ Adamo, Seth, Enos, Mahalael, Keanan, Noah, Abrahamo, Jacobo, & cæteris originem  
 sumpserit, Græciq; qui post Assyriorum Persarumq; Monarchiam, floruerunt, sapientiam suam ab Orientalibus, Ægyptiis, Assyriis,  
 Persis, desumpserint. Sicuti imprimis Persarum Magi, longè fuerunt celeberrimi, sapientiamq; filiorum orientalium paulò antè depræ-  
 dicari audivimus; cumq; aliæ gentes, utpote Indi suos Gymnoso-  
 phystas & Brachmanes, Galli suos Druidas, qui ipsorum Philosophi fuerunt, habuerint: Omnis tamen sapientia cum Monarchiâ ab his  
 ad Græcos, à Græcis ad Romanos seu Latinos, à Latinis verò unâ cum imperio Romano ad nos Germanos devenit, exindeq; ad vicini-  
 nas nationes Danos, Suecos, Ungaros, Polonos propagata fuit. Ori-  
 go tamen prima omnis Sapientie ad Deum creatorem referenda est, qui solus sapiens lucem inhabitat inaccessibilem; coram quo omnes  
 gentes tanquam nihil sunt, minus quam nihilum & inane reputantur pro ipso: Quapropter abyssus interrogata ubi inveniatur Sapiencia & quis sit locus in-  
 telligentie, respondit, non est in me, & mare loquitur non est mecum, imò abscondita est ab oculis omnium viventium, volucresq; cæli latet; Perditio &  
 mors dixerunt auribus nostris audivimus famam ejus: Verum Deus intelligit viam ejus & ipse novit locum ejus; Omnis siquidem sapientia à Domino Deo  
 est, & cum illo fuit semper & est antè ævum, ipse arenam maris & pluvie guttas dinumeravit, altitudinem cæli, & latitudinem terræ & profundum  
 abyssi dimensus est. Nec quisquam Sapientiam Dei præcedentem, animo in-  
 vestigavit, nec quisquam adjuvit spiritum ejus aut consiliarius ei fuit & ostendit illi. Nec à quoquam inuit consilium, ut instrueretur ab illo, & disceret se-  
 mitam justitiæ, ac erudiretur in scientiâ. Hæcque ipsa Dei sapientia tanta quantum ipse est, omnis initii & finis expers, increata, infinita, im-  
 mensa, abscondita, perfectissima, in quâ nihil deficiens, nihil redun-  
 dans, nihil varium continetur, omnis in sese defectus, profectus, in-  
 crementi, ac mutationis expers, quæ ad omnia pertendit universè &  
 singulariter ut principium, omnium nec quicquam ei occultum est:  
 Essen-

Essentialis itaq; ipsa Dei essentia cui simplicissimo, atq; unico omnium intuitu absq; ullis principiis, compositione, & divisione intellectus, ratiocinatione, conclusionibus, scientiâ judicatione, & ordinatione sunt præsentissima. Et in hac suâ sapientiâ Deus ut perfectissimâ suâ essendi ratione, perfectionem obtinuit, ita quoque in omnem æternitatem, etsi nullam unquam creaturam produxisset, retinisset, Verum cum omne bonum communicativum sui sit, quantoq; res melior, tantò plura ut bonitatem suam persentiscant, desideret: propterea Deus qui ab omni æternitate beatissimus, summusq; bonus, beatitudinem bonitatemq; hanc suam non sibi solum reservari voluit: Sed ab omni æternitate Filium sibi ὁμοῦστον & coessentialem genuit, ejusdem essentia atq; sapientia, qui propterea splendor ac Character illius dicitur, qui in sinu Patris fuerit, solusq; Patrem noverit, & ipsum nobis enarravit. Hæc est ipsa sapientia quam Deus possedit in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret, à principio ab æterno ordinata est, ex antiquis antequam terra fieret, cum nondum essent voragine formata est, cum nondum essent fontes abundantes aquis, antequam montes producti essent, antè colles formata est: Quando præparavit cælos adsuit, quæ & descripsit circulum in superficie abyssi, quæ & æthera formavit sursum, & libravit fontes aquarum, quæ & circumdedit mari terminum suum, & legem posuit aquis ne transirent fines suos, quando appendit fundamenta terre, tunc cum Deo fuit, cuncta componens, & erat in letitius quotidie, & ludebat coram Deo omni tempore. Hæc est illa ipsa Sapientia cujus deliciae sunt cum filius hominum quæ clamat, & vocem suam dat, in summis excelsisq; verticibus, supra viam in medijs semitis stans, juxta portas civitatis in ipsis foribus clamans: O viri ad vos clamo, & vox mea ad filios hominum: Intelligite parvuli astutiam, & simplices intelligite corde, attendite, quoniam honorabilia loquar, & aperientur labia mea ut recta predicent, veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium. Justi sunt omnes sermones mei, & non est in eis pravum quid, neq; perversum: Recti sunt intelligentibus & æqui inventibus scientiam. Hæc est ipsa sapientia Dei quæ ab æterno consilium excogitavit quo pacto lapsa homini succurreretur, amissamq; Dei gratiam, homo recuperaret, pristinaeq; dignitati restitueretur: Imò hæc ipsa Sapientia in plenitudine temporis naturam humanam assumpsit, & caro

caro facta est, nobis in omnibus peccato excepto similis, humanamq; naturam tam arctè sibi univit, ut nunquam eam deposuerit, nec depositura sit, verum in unitatem personæ assumendo, infinitis donis exornavit, omniaq; naturæ suæ Divinæ idiomata ipsi communicavit, ita ut jam caro nostra non modò ad dextram Dei erecta, ubiq; præsens regnet & dominetur, sed & ipsa omnisapiens, omnipotens, rectè dicatur, hancq; etiam suam excellentiam multis modis per miracula ostendit, & demum in judicio vivorum & mortuorum manifestabit. At hæc ipsa Divina adhuc est Sapiencia, quam non rimari debemus, scrutator enim Majestatis peribit à gloriâ, quam neq; perversigare possumus, sed potius adorare debemus, & indefesso ore ac linguâ accinere, *Dignus es Domine qui accipias gloriam, & virtutem, & divitias, & sapientiam, & honorem, & benedictionem in secula.* Hæc q; ipsa est sapientia illa archetypa, quæ per unionem personalem ineffabiliter CHRISTO homini, à primo momento conceptionis communicata est: ita ut in eo omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitaverit. Verùm accedamus propius, cumq; de Sapiencia nobis dicendum sumserimus, quomodo hanc suam sapientiam creator benignissimus creaturis suis communicarit, conspiciamus: *Deus enim ipse creavit eam, ac vidit illamq; dinumeravit, & effudit eam super omnia opera sua ac super omnem carnem pro Munificentia suâ atq; omnibus illam amantibus exhibuit, verissimeq; uti Psaltes cecinit: Cæli enarrant gloriam Dei, & opus manuum ejus annunciat firmamentum, dies diei loquitur sermonem, & nox nocti indicat scientiam: imò creaturæ omnes sapientiam Dei proclamant: Sol lucem annuntians in ortu suo machina admirabilis opus altissimi, magnus Deus illius effector, cujus jussu iter suum accelerat, pulchritudo cæli gloria astrorum, ornatusq; luminosus in regione celsa Domini, ad imperium sui suo consistunt ordine, nec unquam defesse stationes suas deserunt. Navigantes mare narrant pericula ejus, quæ nos nostris audita auribus miramur, ac incredibilia sunt ibi & admiranda opera, omnigena varietas animantium & natura Cetorum, magnifica opera sua exornavit sapientia suâ, omnia hæc vivunt & manent in seculum, & ad omnes nus cunctis obædiunt, gemina sunt omnia, unum contra unum & non fecit quicquam deesse, ita in omnibus operibus Altissimi binæ quæq; videas, quorum alterum repugnat alteri, opera Domini omnia bona sunt, ipseq; suo tempore*

F

suppe,



suppediat quaecumque postulat necessitas. Nihil est cur quousquam dicat quid hoc  
 aut quorsum hoc, omnia enim ad suos usus creata sunt, unde admiramur meri-  
 to caelorum stellarumque circumgyrationes admirabiles, lucis naturam imper-  
 scrutabilem, aeris subtilitatem & efficaciam, maris fluxus & refluxus, vis, os,  
 piscium immensam copiam variasque species, Gemmarum pelluciditatem, &  
 Metallorum praestantiam, Herbarum virtutes, animaliumque omnium et si ra-  
 tione carentium naturalem solertiam. Omnia haec divinae sapientiae cre-  
 aturis communicatae sunt indicia, qui omnia in mensura, numero &  
 pondere disposuit, sapientiamque suam per omnes creaturas distri-  
 buit. Atque haec quidem singula ad sapientiae commendationem pos-  
 sent sufficere, ex eoque ostendere perquam facile possemus, quod in  
 themate dicendum sumus, nimirum SAPIENTIAM esse quae  
 omnia operetur. Postquam enim Philo Sapiientissimus & Doctis-  
 simus Judaeorum, tempore Imperatoris Caligulae, ad deterrandos  
 Tyrannos, in libro suo, qui in sacris hodie sub inscriptione Sapien-  
 tiae Salomonis legitur, non solum exempla varia potentiae iraeque di-  
 vine adduxerat, ad sapientiae commendationem digreditur, & pri-  
 mo omnium sapientiam divinam introducit, de eaque scribit cap. 7.  
 quod sit vapor ἀτμὴς virtutis Dei, & emanatio quaedam δόξα ἁγία clarit-  
 atis omnipotens Dei sincera, in quam nihil inquinatum incurrat, sit splendor  
 ἀπὸ τοῦ φωτός lucis aeternae, atque speculum virtutum Dei nullam maculam asper-  
 sum, ejusque bonitatis imago, de eaque porro cap. 8. scribit, quod attingat a sine  
 usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter, doctrix sit discipline Dei, &  
 electrix omnium operum illius. Paulo tamen post conjungens, sapien-  
 tiam quae ab homine, partim ex verbi Divini revelatione, partim ex  
 Naturae perscrutatione addiscitur, hoc ipsi tribuit encomium, quod  
 videlicet sapientia sola sit τὸ πᾶν ἐργαζομένη, quae OPERETUR  
 OMNIA: & ut Lutherus, die alles schaffen. Quod ipsum Sapientiae  
 encomium, si cum illis, quae supra sub initium orationis adduximus  
 conferantur, ea omnia in se comprehendere & summam cum verita-  
 te sapientiae tribui deprehendemus. Cum enim hoc ipso encomio  
 sapiens ad sapientiam homini a Deo concessam potissimum qui-  
 dem respiciat, tamen de speciebus Sapientiae jam dictis verissime  
 Sapientiam operari omnia quam certissime colligemus. Nonne  
 enim Sapientia fuit DEI, cui ab aeterno placuit in tempore creare,

Mun-

Mundum, eumq; quidem eâ pulchritudine ac perfectione omnimodâ, ut non solum aptum hominis, omniumq; animalium esset, domicilium, sed & Majestatis ac omnipotentiae divinae speculum, lucidissimum, quem meliorem quidem noluit, quia sapientiae suae perfectiorem melioremq; condere non placuit, etsi ex infinitâ suâ potentiâ quàm maximè potuerit, imò ex cujus intuitu, homini exclamandum sit: *DOMINE DOMINUS noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra. Terribilis Dominus & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius, glorificantes Dominum quantumcumq; poterimus, supervalebit adhuc, & admirabilis Magnificentia ejus, Magnifica opera sua exornavit sapientiâ suâ, quam sunt opera ejus desiderabilia, καὶ εἰς τὸ ἄνω ἔστι ἐκ τῆς ἰσοπέθειας,* quod Lutherus: *Wiewol man kaum ein Sündfleiß davon erkennen kan.* Nonne porrò fuit ipsa Sapiencia, quæ de reparatione hominis lapsi cogitavit, quæ salutem & incorruptibilitatem homini restituit? Hæc est illa sapientia *JESUS CHRISTUS, qui est splendor & character patris, & qui omnia quæ sunt in cælo & terris reconciliavit per sanguinem suum, deletorq; quod adversum nos erat chirographo, quod erat nobis contrarium sustulit e medio affixum cruci, & expoliata imperia ac potestates tradidit palam, triumphatus illu per eam, nosq; reconciliatos fecit nos reges Deo & patri suo, ut nunc etiam in Christo Jesu, qui olim procul fuerint, propinquæ facti sint per sanguinem Christi cum ipse pax nostra facta sit, ut utrumq; unum sint τὸ μεσοτοιχὸν τῆς Φεγγυμῆς, medium parietem solvens materie, cui etiam maximè acclamare cogimur, καλῶς πάντες προσκύνου.* **OMNIA BENE FECIT.** Hæcq; etiam sapientia divina adhuc hodie quotidie cum sapientiâ patris regit ac gubernat omnia, omniaq; potenti manu conservat & gubernat. Cumq; creaturæ, partim spirituales, partim corporeæ, & hæc partim inanimatæ, partim verò animatæ sint, hæc tamen omnes non absq; sapientia fuerunt conditæ. Et ne de sapientia Angelica dicamus, qui creaturæ intelligentes, ad Dei imaginem conditi, ut qui filii Dei dicuntur in sacris, jussa & mandata creatoris sui intelligenter expediunt: videmus quomodo leges suas cœlestia corpora immotas in motu observent, quibus sapientiam non modo conditoris sui arguunt, sed & sapientiae quasi propriae præferunt indicia. Sic animalia bruta etiam rationis usu destituuntur omnia, quis tamen non admiretur Elephantis docilitatem,



memoriam atq; calliditatem, *Cameli* φιλοσοφίας, & castitatem: *Leonis* magnitudinem animi & gratitudinem: amorem *Musicae* in *Ursis*: *Lupi* fraudulentiam: *Canis* sagacitatem & fidelitatem: *Caprarum* solertiam: *Simiae* κακοζήλια, & in foetus suos amorem nimium: *Aquila* magnanimi tatem: *Pavonis* superbiam qua,

————— *laudatas solēt hic ostendere pennas*

*Si tacitus spectes ipse recondit opes:*

*Gruum* vigilantiam: *Apum* quasi Politiam: *Passerum* societatem: *Formica* in parando cibo per æstatem diligentiam: *Ciconia* pietatem in parentes: *Galli* concentum quo diem annunciat. Quam sapientiam animalium ipsa scriptura sacra nobis commendat: *Quatuor* sunt parva terra, inquit Salomon, & tamen sunt sapientiora sapientibus: *Formicae* sunt populus non fortis, attamen preparant in æstate cibum suum. *Cuniculi* sunt populus non fortis, tamen ponunt in petra domum suam. *Rex* non est *Locusta*, attamen egreditur universa ipsa cum turmâ. *Aranea* manibus apprehendit, cum tamen sit in adibus regum. Et apud Prophetam. *Ciconia* in caelo agnovit tempus suum, *Turtur* & *Grus*, & *Hirundo* observant tempus adventus sui. *Equus* terram unguis fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatu, contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super eum sonat pharetra, ferrum, lancea, & hasta. Fervens & fremens percutit terram, nec reputat tubæ sonare clangorem, inter buccinas dicit *Heah*, & eminus odoratur bellum, commotionem principum & clamorem Exercitus. Imò universa ipsa, teste *Psal-te*, sperant in Dominum, ut det escam ipsorum in tempore suo, dante eo colligunt, dum aperit manum suam saturantur bono: ipse dat jumentis escam filii corvorum, quando clamitant. Adducere possem simili ratione plantarum congenitam quoq; quasi sapientiam, quâ non modò certis quibusdam regionibus crescunt feliciter, aliis verò marcescunt, sed & se ipsas, aliavè mutuo prosequuntur quasi amore ac odio. Sic *Ruta* ad ficum sata, latissimè & uberrimè provenit; *Ulinus* gaudet cohabitare vitibus; *Vitis* & *Olea* mutuo fruuntur consortio; *Heliotropium* quod & nomen inde accepit Solis motum sequitur: plantæq; penè singulæ quibus corporis medeantur partibus, earum quoq; figuram ac imaginem præ se ferunt. Quæ sanè singula, maxima divinæ sapientiæ sunt indicia; quam etiam creaturis partim non sentientibus, partim irrationalibus indidit, quâ etiam ea quæ ad conservationem sui faciunt,



unt, expetunt, quæ verò noxia sunt, subterfugiunt. Quin igitur iterum exclamemus: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universâ terrâ.* Verè effudisti sapientiam tuam super omnem carnem, vereq; sapientia est, quæ operatur & producit omnia. Sed quid Auditores! Si sapientiam operantem & producentem omnia penitiùs considerare velimus, nos ipsos intueamur ac contemplemur. *HOMINES* sumus, ad imaginem Dei conditi, quæ in sapientiâ ac justitiâ Dei consistit. *Creavit enim Deus de terrâ hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. Creavit etiam illi adiutorium simile illi, adeoq; sic Masculum & Fœminam creavit illos, & virtute suâ secundum seipsum exornavit, iudicium, linguam, oculos, aures, & cor dedit eis ad cogitandum, mentem quoq; donavit dispersiens, & sermonem, interpretem operum suorum. Scientia intelligendi instruxit eos, eiq; bona simul & mala monstravit.* Hic enim *HOMO* erat, quem Deus non prius condere voluit, priusquam deliberatione instituta, consilium Deus Pater, cum Deo Filio, & Deo Spiritu Sancto instituerit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram, secundum similitudinem nostram.* Hic est *HOMO*, quem ultimò creare Deus voluit, & tanquam Regem in domicilium splendidissimè exornatum reponere, Dominumq; universi esse voluit, ut dominaretur piscibus maris, volucris cœli, jumentis & toti terræ, omniq; reptili reptanti super terram. Hic est *HOMO*, quem insuper gloriâ & honore coronavit. Cumq; Regis Principisvè summa virtus sit, sapientia cum prudentiâ conjuncta, sapientissimum quoque ac prudentissimum eum effecit, qui non modò Deum creatorem suum perfectè cognoscere, suaviterq; cum ipso conversari potuit, sed & animalia omnia ad se adducta, antea nunquam visa nec conspecta, convenientibus nominib. appellare potuit, sibi verò soli non invenit Adjutorium, quo creato ex sopore profundissimo evigilans. Mulierem statim agnovit, ipsumq; Virissimam, utpote quæ sit caro de carne sua, & os de ossibus suis, vocavit. Nullo itaq; hic amplius informatore, neq; Adam, neq; Eva indigebant, etsi hæc ipsorum notitia de Deo, rebusq; omnibus aliis ex diuturnâ conversatione, & usu accrescere potuisset. Neq; mortales ipsi, aut brevis vita, sed ut in ætèrnum cum Deo viverent conditi, in cœlestè postmodum transferendi gloriam. At ô beatam sapientiam! ô vitam beatissimam! ô conversationem cum



Angelis Deoq; svavissimam! ô beatitudinē gloriosissimā, in posteros  
 quam maximè propagandam! Sed cheu pravaricationi pessimæ, qua  
 inobœdientes Deo primi parentes facti, justitiā originalē omnem,  
 omnemq; Sapiētiā, in rebus in primis divinis penitus amiserunt,  
 ipsiq; profugi facti, Dei non ampliùs sustinere poterant præsentiā,  
 quiq; boni & mali cognitionem, Deiq; similitudinē appetebant,  
 Serpentis calliditate decepti, nil nisi malum, in Intellectu igno-  
 rantiam, in Voluntate inobœdientiam, in corpore nuditatem, sum-  
 mā cum animi consternatione & pavore percipiebant. Cumq; cor-  
 poris quidem nuditatem foliis ficus tegere studebant, ignorantiam,  
 tamen mentis crassissimā, dum sub arboribus horti, Dei conspe-  
 ctum se subterfugere posse judicabant, prodiderunt. Transfereba-  
 tur quidem culpa transgressionis ab Adamo in Evam, imò in ipsum  
 Deum, is enim esset qui dedisset ipsi Mulierem, à qua persuasus, quaq;  
 de arbore vetitā ipsi dederit & comederit. Mulier serpentem accusa-  
 bat, a quo seducta, comedisset. At eo ipso damnum illatum, defe-  
 ctusq; contracti non restituebantur, quiq; tenore legis divinæ eā  
 ipsā quidem die mori debuissent, absq; dubio intercessione filii Dei,  
 prolongationem vitæ obtinuerunt, cumq; æterno quidem Angelo-  
 rum, & Dei consortio, posthac frui nunquam potuissent, consola-  
 tione uberrimā de futuro semine Mulieris, & contrituro caput ser-  
 pentis, eriguntur, sacrificiisq; postmodum à Deo institutis, in reli-  
 gione cultuq; Dei informantur, relictis ruderibus notitiæ rerum,  
 naturalium, culturaq; terræ demandatā, terram colere, plantarum,  
 arborumq; naturam, Adam denuò contemplari incipit, relictoq;  
 rationis usu imperfectiori quamquam, ab eo quem in statu Integri-  
 tatis habuerat, de rebus utiq; & divinis, & naturalibus, honestatisq;  
 actionibus discurret, filiosq; ad sui imaginem genitos, Cainum & A-  
 belem in primis in religione de Deo informat, sacrificandiq; ritum,  
 utpote à Deo profectum, ipsiq; gratum ostendit: ipseq; Cain agri-  
 cultura, Abel verò rei pecuariae deditus, uterq; tamē de Extremo ju-  
 dicio, & futuro seculo, de Providentiā, quod Mundus sit creatus, &  
 conservetur à Deo, de præmiis justorum & penis impiorum à pa-  
 rentibus probè instructi erant. Cain vero propriā malitiā secedens,  
 irāq; in fratrem inflammatus, negare ea tandem incepit, fratriq;  
 Abeli

Abeli vehementius resistenti, cruentas manus intulit. Ab ipsis tamen posteris Cain, filiisq; Lamech, natus fuit Jabal, qui pater fuit omnium habitantium tentoria, & pascentium gregem. Jubal itidem, qui pater fuit omnium contrectantiū citharam & organum, ejusq; filia Sillah, ex qua natus Thubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris & ferri: cumq; quidem Patriarcharum vita quàm brevissimis à Spiritu Sancto per Mosen indigitetur, nullum tamen dubium, quin & ipsi, etsi Cainitarum malitia non parùm impediti, veram de Deo religionem excoluerint, promissionem de Christo diligenter explicarint, naturæq; rimatores quàm diligentissimi fuerint, ob quod & *Henoch*, quia ambulavit cum Deo esse desiit, & à Deo vivus in cœlum delatus fuit. *Noah* verò ab ipso Deo in Architectonicis, arcam quæ & sibi animalibusq; conclave annuum esset, extruere didicit, quo ipso temporis spacio, medias inter beluas, ac omnis generis animalia, & volucres, naturas ipsorum utiq; diligenter inspexit, ac post diluvium Vini plantator, terræq; cultor diligentissimus fuit, cujus & postmodum filii Sem & Japheth in religione verâ eruditi, Chamitis turri Babylonicâ extruendâ occupatis, quam in Architectonicis habuerint peritiam ostenderunt, turrim nî linguarum confusione puniti à Deo & dissipati fuissent, posteris omnibus admirandam extructuri, ob quam linguarum confusionem postmodum in diversas terræ partes abeuntes, diversis ut studiis quidem dediti, omnes tamen de Deo colendo vicissim cogitarunt, rerumq; naturalium studiis, variisq; opificiis animum adverterunt, quamquam alii præ aliis felicius ac dexteriùs. Cumq; Abraham Patriarcha, ejusq; filius Isaac, neposq; Jacob rei quidem pecuariæ dediti, Jacob tamen quantum in Physicæ cognitione calleret, baculorum diversicolorum invento ingeniosissimo ostendit, quam ipsam scientiam proculdubio à parente Isaaco, inq; tabernaculo ipsius hauserat. Deductisq; Israelitis in Ægyptum, Ægyptios sanè variis quoque artibus excultos invenerunt, licet à vero Deo, cujus honorem in naturam bestiarum mutarunt, longius discesserant, illincq; iterum eductis, tabernaculi non modò structuram Deus ipsi Mofi in monte Sinai ostendit, sed & legis duas concedit tabulas, quo tempore Theologia quasi ipsa à Deo scribi cœpit, hominibusq; tradita fuit, promissio-

missionibus Evangelicis de Christo, venturoq; Messia & semine benedicto, subinde ad Abrahamum, Isaacum, & Jacobum repetitis, Mosiq; ipsi, & populo Israëlitico propheta magnus quem audire debeant, promissus fuit, hocq; beneficium jam illud maximum, quod Psaltes Psalmo 103. prædicat. *Faciens justitiam Jehovah, notas fecit vias suas Mosi, filius Israëlopera sua.* Sapientiaq; ipsa apud Syracidem c. 24. sese commendans: *Ego, inquit, ex ore altissimi prodi, creator omnium, & qui creavit me dixit mihi, in Jacob habita, & in Israël tuam accipe hereditatem, & in electus meus mitte radices: & sic in Sion formata sum, & in civitate sanctâ similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea.* Hinc itaq; sapientia, quæ homini concessa summa, Dei nimirum cognitio, & prout ab hominibus coli vult, hauritur & addiscitur; quæ ut & à naturali quidem rationis lumine cognoscitur, imperfecta tamen illa ipsa est, languida, & propemodum nulla. Insuper verò nec legis tantum cognitionem Misericors Deus hominibus revelavit, sacrificiorum, ordines diversos instituit, sed & prophetas dedit, & postmodum filium suum JESUM CHRISTUM misit, Evangelistarumq; opera, quæ CHRISTUS fecit, locutusq; est, consignari, Apostolorumq; Epistolis variis ceu Syngraphis, veritatem illam confirmari voluit, quo nil quicquam deesset, quod ad restitutionem hominis in rebus divinis requireretur, utq; *perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum perfecte instructus, fidusq; sit hic sermo Dei, ut studeant bona opera tueri, qui crediderunt Deo, hæcq; sunt illa, quæ honesta & utilia hominibus.* Hæcq; est illa Regina potentissima omnium disciplinarum, THEOLOGIAM intelligo, ex sacris literis haustam, cujus cognitio hoc in Mundo incipit, inque omnem æternitatem perduratura est, cujus dogmata non voluntate hominis allata sunt, sed *S. Sancto impulsu locuti sunt Sancti Dei homines* quibus omnibus medelam humanæ Ignorantiæ Deus benignissimus humano generi afferre voluit. Præterea verò teste Ecclesiaste, & hanc occupationem Deus tradidit filio hominum, cum enim omnia fecerit pulchra in tempore suo, Mundum ipsum tradidit disputationi eorū. Cum enim intellectu homo sit præditus, is ceu speculū splendidissimū, & politissimum, rei cujusvis singularis objectæ imaginem concipit, speciemq; format intelligibilem, quam *νοημα* notionem, conceptumq; dicere consueverunt Philosophi, dum ex ignorantia istarum rerum admirari incoe-

incoeperunt homines, admirando sensuum beneficio illas observa-  
runt, observata memoriae commendarunt, ex Memoria rationis ju-  
dicio examinarunt, & per Experientiam diuturnam confirmarunt,  
tandemq; Universali Inductione certa praecepta de rebus constitue-  
runt singulis, cumq; infinita singularium propemodum multitudo  
sit, quam intellectus humanus nunquam possit comprehendere, sin-  
gularia quavis ad certas species generaq; reducta, quicquid in uni-  
verso fuerit, aut Substantiae aut Accidentis naturam habere depre-  
henderunt. Neque enim rationis lumen, per quod Homo id est  
quod est, extinctum penitus, sed in dijudicando, rerumq; naturali-  
um dijudicatione vis adhuc post lapsum mansit residua: qua λογίζε-  
σθαι, ratiocinari seu discurrere homo potest. Hinc igitur certis con-  
stitutis objectorum classibus, homines Deo praelucente diversas in-  
venerunt disciplinas, quibus id omne quod in hoc toto universo in-  
telligibile, quodq; vel actionem vel effectum suscipere, ac in qui-  
bus honestatis emicare lumen, aut quod artis sustinere ποιήσιν pote-  
rat, quam commodissimam viam Methodoq; proposuerunt, ita ut verif-  
simam postmodum factum sit illud Aristotelis effatum l. 7. Polit. cap.  
ult. πᾶσα τέχνη καὶ παιδεία τὸ προσλεῖπον βάλειαι τῆς φύσεως ἀνε-  
πληροῦν, id est, *Omnis ars, & disciplina quod deest naturae implere vult.*  
Cumq; illa quae arti subiciuntur quorumq; finis est effectio, manu-  
aria imprimis conficiantur opera, variisq; utantur instrumentis cor-  
poreis, ac Machinis, Mechanicae exinde dictae videntur, atque artes  
manuariae, itemq; opificia, quarum aliae ut objecto & operationis  
praestantia, ita quoq; certitudine & munditie alias superant, omnes  
tamen id commune quasi habent, ut verè dicere possimus, etsi arti-  
fices ipsi istarum artium neq; sciant, neq; credant, *nullum opificium  
nullamq; artem esse Mechanicam, quae non ex Mathematica aut Physica, aut ex  
utraq; simul sua desumat principia, suamq; operandi certitudinem,* sicuti id  
facile is qui opificum operas conspexerit, quiq; scientias istas vel pri-  
mo limine salutari, affirmabit. Quibus omnibus *Agriculturam* atque  
*Militiam* artem, hanc tanquam custodem, illam tanquam piam ma-  
trem praemittimus, quarum posterior in quantum Physica & Mathesi  
indigeat, Dux bello exercitatus facile fatebitur: illa verò Agricultu-  
ra si simul herbarum, arborum, plantarum curam suscipit, nil nisi

G

admi-

admiranda Dei in naturâ opera conspiciunt. Quibus postmodum, *Mercatoria* variarum mercium, *Nauticâq;* non incommodè annumeratur. Succedunt hinc fabrorum diversa artificia, & imprimis *αὐτῶνα ἰσομετρῶν*, inter quos excellunt *Horologiorum confectores*, *ὀργανοποιοί*, *plectropοι*, *ἰαυμαστοποιοί* & *Φασηγοποιοί*, *Tornarii*, *Scriuarii*, *Fabri Lignarii*, *Molendinarum extructores*, *Hydraulici*, *Pneumatici*, *Clasmatici*, *Belopoi*, *Chlamidopoi*, *Hoplopοι*, *Pugiles*, *Tyronum bellicorum Magistri*, *Tormentorum directores*, & *curatores*, *Archarii*, *Mechanopoi*, quibus si ipsos *Typographos* annumerare velis haut aberaveris. Succedunt *Aurifabri*, *Andriantopii seu Statuarii*, *Marmorarii*, *Metallarii*, *Lapicide*, *Gemmicide*, *Sculptores*, *Pictores*, *Fullones*, *Tinctores*, *Acupictores*, *Polymitarii*, *Sericarii*, *Fabri claustrarii*, *Ferrarii*, *Aerarii*, *Fusores aramentarii*, *Stannarii*, *Vitriarii*, *Alutarii*, *Corearii*, *Linæones*, *Pistores*, *Molitores*, *Lanii*, *Sartores*, *Sutores*, *Pelliones*, *Zonarii*, *Cæmentarii*, *Ringuli*, *Calcarii*, *Crustarii*, *Pagutores*, *Restiones*, *Venatores*, *Piscatores*, *Ancupes*, *Cisarii*, atq; *Aurige*, *Eqvorum hinc*, *Ovium*, *Pecorumq;* *Magistri*, *Fossores*, *Pollinctores*, & qui imprimis *Medicinæ* inserviunt, *Chirurgi*, *Tonsores*, *Balniores*, *Scarificatores* quiq; id genus hominum sunt alii, de quibus omnibus illud verissimum est *Syracudis*: *Horum omnium quisq; suis fretus manibus in opere suo consumit quod sapientiæ, ac sine his quidem nec coleretur urbs ulla, nec habitaretur, nec adventu hominum frequentaretur. Attamen nec sententiam rogabuntur in consultatione populi, nec in concione eminebunt, nec sedebunt pro tribunalibus, nec formam rationemq; iudiciorum intelligent, neq; verò de æquo & iure pronuntiarint; nec in dictis exquisitis sententiisq; locum habuerint; sed tuentur opificia Mundi, & pro incremento artu vota faciunt.* Artifices tamen sunt ipsi *Sapientes*, quo pacto & *Aristoteles l. 6. Ethicorum*, *Phidiam Sapientem Marmorarium*, & *Polycletum Sapientem Statuarium* dixit; imò ipsorum quoque artes singulare Dei donum sunt, qui artifices vocat; illosq; replet Spiritu Dei, *Sapientiâ*, *Intelligentiâ*, *Scientiâ* & omni arte, sicuti *Besaleel* & *Ahaliab* exornavit ad excogitandum quicquid fabricari potuit, ex auro, argento, & ære, & in arte *Gemmariâ*, & in arte *Lignariâ*, ut operarentur in omni opere. Hæq; artes omnes & singulæ, uti & jam supra dictum ex *Physica* atq; *Mathesi* profluunt. Hasq; ipsas postmodum *necessitas* *commoditasq;* in vitâ humana excogitavit, quæ etiam

etiam.

etiam nec simpliciter sordidæ sunt, sed dum in illis opus naturæ congruens intuemur, artisque; industriam & vires quæ naturam æmulatur, commoditatemque; quæ humanæ societati afferunt, ab homine ingenuo non contemnuntur, sed sue quoque; habentur in honore ac pretio, earumque; cultores operibus manuum addicti, cum illis qui Ingenium excolunt, concorditer utique; vivere cohabitareque; possent, vitiaque; artificum uti sunt *Negligentia, Avaritia, Fastus, Fraus, Helluatio, Artium Liberalium contemptus*, Arti nullatenus ascribenda sunt. Fugienda potius sunt artes illæ, quas exercent *Aii Locutii, Funambulatores, Praestigiatores, Falsarum tesserarum Magistri, Æruscatores, Furciferi impatibulari, Hariali, Incantatores, Lenones, Cruminifera, Sanniones*, & id genus hominum alii, in quibus præter fraudem, haut aliquid boni verique; inveneris, quas propterea tanquam sordidas hominibus; ingenuo minimè dignas, ex societate humana extirpandas judicamus; illas verò, opificum nimirum operas manuarias, ceu utiles necessariasque; commendandas, ac excolendas, ab iis qui ad superiora pervenire non possunt, statuimus. Sique; societas humana corpori membris variis constanti, & ornato, non incongruè comparetur, artibus hisce Mechanicis, pedes, ventrem, manusque; representari arbitramur, quibus sanè non parùm divitiarum quod in Mundo est, & quod homini magnum videri potest comparatur, ut hæc quoque; sapientia per plurima operetur, quæque; vitæ usuique; humano necessaria, per illam comparentur, vereque; exinde à Sapiente dictum: *si divitiarum est in vita possessio desiderabilis, Quid sapientia omnia operante locupletius? At in corpore hoc Politico membrum quod præstantissimum adhuc deest, CAPUT nimirum, ex quo omnes sensus in corpus defluunt, quod animæ quasi sedes, in quo operationes perficiuntur nobilissimæ, hoc si corpus destituitur, quod manu pedeque; carere potest, illicè expirat atque; moritur. Hoc itaque; facultates sunt tres residuæ; JURISPRUDENTIA, MEDICINA, ac PHILOSOPHIA, THEOLOGIAM enim primam omnium, ceu sapientiam revelatam, penes Sapientiam divinam proximè collocavimus, eaque; est absque; quæ si essemus, uti quidem Rempublicam felicem, nulliusque; indigam, sicuri olim gentes, incolere possimus, veræ tamen religionis luce destituti, miserissimi omnium essemus, cæci Andabatarum more ober-*

rare cogere. Hæc THEOLOGIA thesaurus est maximus, qui ut in Republicâ conseruetur, disciplinæ facultatesq; quævis allaborare debent. In illis autem tribus facultatibus JURISPRUDENTIA quod iustum & æquum est: MEDICINA quæ sanitati humanae conducunt: PHILOSOPHIA verò omne quod in universo cognoscibile & agibile explicat, hæcque PHILOSOPHIA omnium artium mater, suis quoque Instrumentis puta GRAMMATICA, LOGICA, RHETORICA, quibus sermonem rationemque hominis dirigit, instructa, nil inexplicatum, obscurumque relinquit, intellectumque hominis non modò omnium rerum notitiâ, sed & voluntatem honestâ actione informat, ut nil suscipiat, neque unquam agat, nisi quod in mediocritate positum, & cum honestate consentiat. Et dum corpora naturalia, speciebus variis exornata, suis accidentibus conspiciat, PHYSICA quid in his contemplandum accuratius declarat: hinc porrò cum quantitates inter sese deprehendat commensurabiles, ac connumerabiles MATHEMATICA, ARITHMETICÆ imprimis ac GEOMETRIÆ beneficio, quicquid in quanto tam discreto, quam continuo occurrit, declarat, eaque postmodum convenienter tum ad totum hoc universum, in COSMOGRAPHIA, tum partibus, cælo in ASTRONOMIA, in terrâ per GEOGRAPHIAM, in sono per MUSICAM, in Luce Lumine ac umbrâ per OPTICAM declarat, eaque postmodum ad varias disciplinas Mechanicas, quarum fidelissima mater est, applicat. METAPHYSICA verò abstractione universali, & transcendentali, tum in his dictis disciplinis THEORETICIS, tum quoque in disciplinis PRACTICIS, Entium omnium communem rationem, communesque affectiones seu rectius MODOS speciesque supremas attendit & considerat. Hinc actiones ipsas PHILOSOPHIA PRACTICA informat, quò honestati convenienter, tum homo per se vivat beneficio ETHICÆ, recteque se gerat in societate civili, operâ POLITICÆ, & imprimis familiam, curamque rerum domesticarum rite administret, per OECONOMIAM, adeò ut verè Cicero Oratorum maximus exclamârit: *O vitæ Philosophia dux, virtutis indagatrix, expultrix vitiorum, quò non modò nos, sed omnium hominum vitæ sine te esse potuisset, tu urbes peperisti, tu dissipatos homines in societatem vitæ convocasti, tu eos primò inter se domicilios, deinde conjugios, tum literarum & vocum communione conjunxisti: tu inventrix legum, tu Magistra*  
*morum,*



morum, & disciplinae fuisti, ad te confugimus, a te opem petimus, tibi nos ut  
 antea maximam ex parte, ita nunc penitus totosque tradimus. Ac ut quidem illa  
 Philosophicarum disciplinarum utilitas, non ita evidenter a multis  
 conspiciatur, ab illis imprimis, qui nil magnum judicare possunt, nisi  
 quod oculos auresque repleat, Philosophiaeque cultores ab illis impri-  
 mis inutiles judicentur, non aliter ut membra quondam corporis,  
 ventriculo ceu otioso nimis lite movebant, neque inter se deliberata,  
 cibos posthac nullos ventriculo subministrandos concludebant, at  
 paucos post dies ipsa lassae & defatigata, damnum maximum depre-  
 hendebant, ac quicquid commodi ventriculus ipsis conferret, per-  
 senserunt: sic sit maxime vita studiosorum otiosa, unde & Schola-  
 stica ab otio honesto nimis dicta fuit, quaequam ut recte Romanorum  
 ille Consul se nunquam magis negotiosum, quam cum otiosus erat,  
 dixerit, curis nimirum Reip. vacuus, & Philosophiae studiis deditus.  
 Annuo tandem spatio Philosophiae cultores, atque ex his imprimis  
 Mathematici Calendaria, seu Ephemerides nulla scribant, mensium,  
 septimanarumque; festorumque; omnium, quam citissime confusionem  
 deprehendemus longe maximam, nec aliter ut membra vacuo ven-  
 triculo lassae: sic totum corpus Politicum, omni quasi spiritu, his, tum  
 reliquis disciplinis Philosophicis destitutum, exanimaretur ac periret.  
 Et ut manibus pedibusque; artes manuales comparavimus, sic sane  
 CAPITI disciplinas Philosophicas reliquasque; uti diximus non incom-  
 mode comparaverimus. Neque quid aliud quam Philosophiae perfe-  
 ctio sunt superiores facultates duae JURISPRUDENTIA ac MEDICINA,  
 siquidem ubi PHYSICUS desinit, ibi incipit MEDICUS, & ubi ETHICUS finit,  
 ibi incipit JUSTUS, juxta vetus verbum, legesque; ipsae quasi Gnomae  
 sunt in justitiae confesso, rectaeque; rationis judicio deliberatae, RATIO-  
 NEM pro anima agnoscentes. MEDICINA vero PHYSICAE cognitionem,  
 plantarum, aliarumque; rerum usum, ad sanitatem hominis, aliorumque;  
 animalium conservandam, amissamque; recuperandam destinat, sin-  
 gulae vero nil agunt aliud, nisi ut una cum Philosophia, ac Theologia  
 societatem humanam conservent, & continuo fluxu, uti Spiritus  
 animales, a cerebro per nervos in Corpus, ita ipsae in reliquas artes,  
 quasvis influunt. Si que; in tot hactenus enumeratis Sapiientiae partibus  
 Sapiientis verbum verum esse intelligimus, Sapiientiam nimirum esse  
 quae OPERETUR omnia: id in hisce, jam ultimo, & quae primo vel etiam

solum adducere potuissent disciplinis manifestissime deprehende-  
 tur. Verè enim per sapientiam hanc Reges regnant, & principes decer-  
 nunt justitiam, per eam principes dominantur, & principes & omnes iudices  
 terra. Et si divitiarum in vitâ possessio est desiderabilis! quid sapien-  
 tia omnia OPERANTE locupletius. Ac uti quidem hodie VIRO  
 ERUDITO abjectius penè nihil iudicetur, ob quod & MAGNA-  
 TUM plurimum filii persuadentur, à nonnullis hominibus, nescio  
 quibus, dedecis ipsis fore, literas tractare, & vitam quasi vivere cala-  
 mariam. Cumq; Salomon in dexterâ Sapientiæ longitudinem ponat  
 dierum, & in sinistrâ illius divitias & gloriam, hodie non sapientem,  
 sed forsitan SALSAMENTARIUM quempiam, fictis interdum di-  
 vitiis abundantem, majori honore affici, quàm VIRUM literis, omni-  
 genâq; eruditione politum conspicias, eaq; de causâ per plurimos à  
 literarum deterreri videas studiis, eò quod literatis & sapientibus  
 cum pauperie ac inopiâ continuò quasi digladiandum sit. concur-  
 rentibus in primis hisce exulceratis temporibus, dum eruditis pro C.  
 florenis X. imò nec totidem nonnullis in locis numerati fuerint.  
 Ecquid ergò si sapientes, vel hoc quoq; malum evitare non potue-  
 runt? Sed ut malum quidem Sapientiâ declinare potuissent, quod ci-  
 tò in totum propè ROMANUM IMPERIUM sese diffundens con-  
 spexerunt, & de illo ad ravim usq; conquesti fuerunt, vim tamen  
 non omnem subterfugere valuerunt, ita ut & hîc ferendum fuerit,  
 quod mutari non potuit. Manet nihilominus *sapientia melior margari-  
 titu, & omnia desiderabilia non æquabuntur ei, divitiæ & gloria cum ipsâ sunt  
 substantia stabilis & iustitia, melior est fructus ejus auro & obrizo & proven-  
 sus ejus argento electo.* Utq; Bias in patriæ suæ incendio Omnia secum  
 portat: Ita & sapientis hæc vel maximæ divitiæ, quod intellectum o-  
 mnium rerum notitiâ imbutum habeat, & voluntatem, atq; affectus  
 rectæ rationi obædientes: Sicq; ipse beatam vitam vivat, quâ homi-  
 ni nihil potest accidere exoptatius, atq; ipse lumine superiori non  
 indigeat: ipse verò inferioribus quibusvis afferat, sicqve sapi-  
 entia etiam, quæ usui humano nostro unice conducit, ut quidem  
 manuarum non exequitur officia, hæc tamen omnia longeque  
 majora dirigat. Sicq; sapientia sit unica & sola, quæ in humanis o-  
 mnia efficiat, quæ operetur omnia, quæ quicquid desiderabile in  
 vita

vita esse poterit, humanæ societati confert, absq; qua e contra, omnia disturbantur, corrumpuntur, perduntur, tandemqve in nihilum rediguntur, quæ omnia amorem tandem sapientiæ in nobis majorem deberent excitare. *Principium siquidem sapientiæ si inclinamus aures nostras ad ipsam, neq; declinemus ab eloquio oris istius, & facile perspiciatur ab iis qui eam diligunt & invenitur ab illis, qui eam querunt, qui manè surrexerunt ad illam, ipsam inveniunt: æsidentem ad suos fores intronittet, siquidem de illa suscepta cogitatio prudentiæ est perfectio, & qui propter eam evigilaverit, propter ipsam honorabitur.* Amemus itaq; & nos sapientiam, sicq; ipsam à Domino accipiemus. *Jehovah enim dat sapientiam & ex ore illius egreditur cognitio ac intelligentia:* Amore ejusdem Viri omnium ordinum Excellentissimi, Professores Clarissimi perfusi, nunc sub sapientiæ umbrâ & vexillo tuti pacatiq; sedetis, ejusq; solatio & gaudio fruimini. Expetite & vos Studiosi eam porro omnium ordinum Præstantissimi, cujus causa hoc sapientiæ & literarum emporium Wittebergam accessistis, sic invenietur à vobis, sic laborib; exiguis ejus causa susceptis, præmiis vos afficiet longè maximis, & perpetuo duraturis. Eâ duce ac comite vos quoq; omnia operabimini, & in mediis adversitatibus tuti tranquilliqve, in paupertate divites, in contemptu honorati, in adversis hilares, lætiq; esse poteritis. Hæc q; optima & suavissima harmonia sapientiæ tum divinæ tum humanæ, per Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam ac Philosophiam levi quidem manu à me hætenus delineata, ad concordiam majorem nos incitare debent, ut qui sciamus membra nos esse omnes unius corporis, de quo Apostolus eleganter *1. Corinth. 12.* De dignitate nostra nos ipsa porro deberet commonefacere, ac ad sedulitatem indefessam instigare, quum videamus, qui quantumq; campus in *Φιλοσοφία*, tum superioribus quoq; facultatibus percurrendus sit, tum quoq; ut recto ordine studiis inceptis, non ad superiores facultates advolemus, antequam Philosophiæ facris, necessariisq; ejus disciplinis informati fuerimus. Sed tempore exclusus cum hæc omnia peculiari orationi materiam præbeant, neq; etiam in re in quâ mecum omnes consentitis, diutiùs aures vestras benevolas detineam. finem hinc potiùs dicendi facio, proq; benevolentiam vestram in auscultando, & humanitate gratias singulis, quas debeo, quas possum ago, Deumq;

Deumq; precor, ut & ipse posthac benefaciat benefactoribus meis. Benefac Domine Deus itaq; SERENISSIMO ac POTENTISSIMO ELECTORI Saxonie, Domino meo, & Nutritio hujus Academiae Clementissimo, cujus SERENISSIMÆ CELSITUDINIS, tanta in me, in dignum quamvis, beneficia, quæ enumerare non valeo. sed ut tu Domine DEUS hæc largissimâ, omnipotentiq; dexterâ tuâ, Illustrissimæ ejus SERENITATI, Illustrissimæq; iridem Conjugi, ac Soboli, totiq; domui Saxonice, recompenses devotâ mente precor. Benefac tu Domine Deus Professoribus hujus Academiae omnium ordinum celeberrimis, Preceptoribus, Fautoribus, atq; nunc Collegis meis honorandis, quorum operâ totum hoc sum quod sum, restitue illis & retribue omnia beneficia in me collata, & in cunctis precationibus ipsorum exaudi eos. Benefac tu quoq; ð Domine Deus, superiorum Consistorii Ecclesiastici consiliariis longè dignissimis, ac de Ecclesiâ Christi meritissimis, quorum in me merita constant longè maxima. Benefac tu Domine Deus etiam Amplissimo civitatis hujus Senatui, Dn. Consulibus, Judicibus, & Senatoribus prudentissimis, Mæcenatibus quondam meis, nunc fautoribus honorandis, concordiam largire, da pacem ac tranquillitatem Domine Deus benignissime. Benefac tu in super Domine Deus parentibus quoq; meis, & matri inprimis vidua summus Patronus esto, quam verbo tuo à me honorari, illiq; bene precari volueru. Gratia tua ad sis, & beneficentiam tuam effunde super Studiosorum cœtum Nobilissimum, prestantissimum, florentissimum, adjuuge semper alios super alios quorum animi iniquitate temporum nondum fracti, & artes scientiasq; liberales excolant, & te Deum in Philosophiâ, Medicinâ, Jurisprudentiâ ac Theologiâ ipsos aloquentem audiant. Excita tu Domine Deus in illis favorem & amorem erga me meaq; studia, ac lectiones quas nunc exordiri debeo publice. Conserva tu Deus clementissime vires animi & corporis, & quæ noxia esse possunt longissime propelle, Spiritum Sapiencie tu largire nobis. Jussisti tu Domine Deus, per Serenissimum Electorem Saxonie, me hac in Academia quam diu tibi, non malis oculis invidusq; placuerit hominibus, Philosophica doceam, mitte ergo ex sanctis cœlis tuis, atq; à solo gloria tue, sapientiam, quæ præsens mecum labore, utq; rectè intelligam quid acceptum sit apud te. Vosq; Præstantissimi ac Doctissimi Dn. Studiosi si mihi non defueritis, majoribus honorem, æqualibus favorem, inferioribus fidelitatem ac diligentiam spondeo. Benefac tandem ð Domine Deus toti huic civitati, & quicquid dissidii litigiiq; unquam extiterit, extareq; potuerit, tu Clementissime Deus extingue, fac ut in pace, & literatorum & civium

civium cohors vivat tranquillissima, pelle annonæ caritatem, da subditis cor  
obediens, da ut quis in suo officio SAPIENTIAM operantem, Omnia,  
excolat inq; oratione sua corpus Politicum exornet, ejusq; membrum sit utilis-  
simum, donec Miserrarum valle hac transgressâ in vitâ cœlesti ipsi Reges ac  
Sacerdotes constituti, te Deum nostrum, unâ cum filio & Spiritu Sancto,  
omniumq; Angelorum honorum Sanctorumq; hominum societate intueamur,  
tibiq; in unitate trino, & Trinitate uno, canamus laudem honorem  
& gloriam. Sit tibi Domine Deus, Pater, Fili, & Spi-  
ritus Sancte, Laus, honor & gloria  
in seculum.



## ORATIUNCULA,

Seu  $\pi\epsilon\sigma\sigma\phi\omega\iota\alpha\tau\iota\varsigma$  ad spectabilem Dn. Decanum Collegii Phi-  
losofihici, Virum Excellentissimum & Clarissimum,  
Dn. AMBROSIUM RHODIUM, Medic. D.  
& superiorum Mathematicum Professore publicum, de ape-  
riendo examine publico Anno 1623, 18. Sept.  
dicta.



Uæ hîc mihi verba facienda, spectabilis  
Dn. Decane, Vir Excellentiss. ac Clariss. Fautor, ami-  
ce & Collega honorande, ea ipsa Viri hi Juvenesq;  
Reverendus, Doctissimi atq; Præstantissimi, ipso-  
rum causa ut facerem exorarunt. Novit enim Sp. T. D. tûm p. t. destina-  
ti Domini Examinatores, imò totum Collegium Philosophicum,  
quos ipsi labores in acquirendâ sapientiâ impendere, neq; tempo-  
rum injuriâ aut difficultate fracti, quâ par fuit modestia, superio-  
ribus diebus, honores in Philosophiâ summos Magisterii nimirum  
gradum petierint, consuetoq; privato examini & explorationi se  
submiserint. Quanquam verò si vel quædam hîc dicere possem.  
(quæ menti succurrerunt varia) non incongruè de IMPEDIMEN-  
TIS HONORUM ACADEMICORUM, & T. Sp. D. Vestroq; Col-  
legæ honorandi pace me dicturum æstimavi. Conspicitis enim,  
H cum,

cum numerum Candidatorum, quem minorem aliquod retrò promotionibus non deprehendistis, cujus sanè causas, si vel inquirere libuerit, earum tres imprimis animadvertemus, nulla enim culpa hinc Professorum diligentiae attribui poterit, qui sui officii in se desiderari nil quicquam passi. Verùm causa prima in per plurimis est discipulis, qui sibi ipsis desunt, vel fundamentis in Gymnasis Scholisq; trivialibus non ritè jactis, ad Academias, publicaq; studia suo cum damno accedunt, aut ut hæc probè cognoverint, missis tamen studiis Philosophicis, ceu ut ipsi reputant, vel minus necessariis, aut ut alii levioribus, vel etiam nimis prolixis, minusque utilibus, ex illis vel neminem, vel injustè, quorum tamen non exiguus est numerus, honores petere Academicos facillè colligimus. Succedit secundo contemptus honorum istorum Academicorum, qui partim fit ab indoctis, tum nescio, sit venia verbo, subulcum forsitan, aut Bagulatore, Doctori ac literarum Magistro præferunt: tum eruditorum quoque, qui vel dedecus sibi æstimant Magistrum vocari, & cum quidem, eam sibi in Philosophicis eruditionem comparant, ut cum laude honorem Magisterii petere possint, nescio tamen quo modestiæ titulo, honores istos subterfugiunt: alii verò falsâ persuasione mentis aberrantes, ac si Philosophiæ Magister omnium artium scientiarumq; perfectionem tenere deberet, tutius se aliqua ignorare posse æstimant, dum ut loquantur, non Magistri sint, sed quæ quæruntur à Magistro potius indaganda veniant. Accedit huc quoq; æmulatio Academiarum, ad invicem, dum Academia Academia invidet, suosq; & à se quasi educatos & creatos Magistros præfert, quasiq; isti soli sapientiæ possessores, alios penes se, alibiq; creatos fungos stipitesq; æstimat. Quem contemptum deniq; ipsum non parum adjuvant illi, qui vix ambobus Academiam ingressi pedibus, ac si porta honoris claudenda esset, honores istos Academicos petunt, cumq; eam maturitatem ingenii ac judicii, ad quam si per spaciū aliquot temporis expectassent, & diutius studiis Philosophicis invigilassent, pervenire potuissent, nondum acquisiverint, unde dehinc fit, ut non modo turpiter in examinibus stent, sed sæpissimè etiam ex-

ami-

aminibus sustentis, tantò negligentiores fiunt, ac Bacho Veneriq; se nuncupantes, ut qui jam Magistri facti sunt, ludibrio risuiq; multorum sese exponunt, & cum Bursales, ut loquuntur, esse velint, calumniâs in se dictas, taceo alapas, crastino vino convivioque conbibonibus, expositis, vindicare coguntur. Tertia verò denique, eaq; haut postrema, etsi ultimò à me proferatur, causa est, Iniquitas temporum, in quibus jam vivimus, dum omnia penè subsidia studiosis liberalium artium subtracta, stipendia ipsorum 40. vel 50. florenorum in Silesia duobus tribusve, in Saxonia haecenus quatuor, rarò quinq; Imperialibus soluta fuerint. Dumque quod dignum utique, & nemo gratus denegare praesumfit, pro examinibus, & apparatu prandii aliquid pecuniarum expendendum sit, Silesiorum ac Moravorum nullus expensas istas, nisi pro 8. florenis 144. <sup>id est</sup> etiam 160. enumerare velit, gradum istum petere potuerit. Misnici verò & Saxones, etsi à tanto malo, nunc divina cura, & superioris Magistratus liberati fuerint, colligere tamen sese adhuc non potuerint. Sueci, Pomerani verò, etsi non tantâ calamitate dicamq; injuria pressi, consilium tamen suum ut & multi alii ob latrocinia viarum atq; itinerum mutare coacti fuerunt, dum nullus penè Tabellionum tutò accedere, neque quicquam pecuniae, nisi à Latronibus diripiendae, mittere potuerit. Quâ postremâ etiam hac causâ tantum exploratâ, mirum sanè non esset, si vel hoc semestri, hac in Academiâ, nulla potuisset ob defectum Candidatorum institui promotio. Sed en divinâ ex gratiâ, pro quâ ipsius bonitati meritò Collegium Philosophicum, agit gratias, reperti tamen adhuc sunt quos videtis, Candidati Viri Juvenes Reverendus, Praestantissimi atq; Doctissimi, numero bis octo & unus, quorum hic suam ob functionem, à toto tamen Collegio exanimatus, jam abest, qui imprimis temporum difficultate non fracti, animum fortem retinuerunt, & studiis Philosophicis imprimis indefessam operam impenderunt, neq; sibiipsis defuerunt, neq; contemptu gradus Magisterii absterriti, honores, quos ipsorum virtus & eruditio meruit, à Collegio Philosophico, debitâ animi modestia petierunt. Qui quoq; ipsi ut in laudabili hoc suo in-

58 ORATIUNCULA DE IMPED. HONORUM.

rituto, cœptoq; meritò à Collegio Philosophico adjuvari debuerunt, ita ipsi quoque, ne in contemptum videantur, deducere vel-  
le, gradum Magisterii aut audiri, quod dissoluti, vel etiam impe-  
riti mediis illicitis gradum Magisterii redemissent. Ideoq; non tan-  
tum hæcenus privato examini T. Sp. D. se submiserunt, quibus qui-  
dem testibus contenti esse potuissent, ulterioris tamen testimoni-  
caussa tum quoque, cum editio ipsorum nullam censuram sub-  
terfugiat, publico se sistunt examini. Et cum statuta Collegii Phi-  
losophici, & Academiae imprimis velint, ut qui ad honores in Phi-  
losophia summos aspirent, postquam in privato examine auditi  
fuerint triduo spatio, omnibus Doctoribus ac Magistris Philoso-  
phicæ libero aditu concesso, explorentur. Hoc ipsum examen ipsi  
intrepido latoq; animo aggressuri, me interprete, à Spect. T. D.  
quâ par est, Reverentia rogavi, ut in Honorem ipsorum Sp. T. D.  
pro autoritate, quâ impræsentiâ fungitur, examen publicum ape-  
rire velit. Quod si à T. Sp. D. Dnn. Candidati impetraverint, ipsi  
non modò gratitudinem pollicentur, sed & ego tantum pondus in-  
tercessionem meam obtinuisse, summæ benevolentia loco repo-  
nam. Deum verò precor, ut ipse supremus Director triduanus hu-  
jus sit colloquii, interrogantibus respondentibusq; suo Spiritu ad-  
sit, ut omnia ad sui divini nominis gloriam, veritatis Philoso-  
phicæ inquisitionem, & Dnn. Candidatorum, totiusq; Col-  
legii Philosophici honorem vergant.

D I X I





Elencus contentorum.

Acta colloquiorum Sualbacensium.

D. Hæ Calvinistarum vera, viva & genuina descriptio, eiq; solida & invicta assertio  
adversus calumniosissimum libellum D. Lud. Cocii Episc. Brimensis.

epid. Disser. Theologica Antipontificiana, seu beati angeli, & celites, deum in sua  
centia, qualis e pfecte cognoscant.

M. Abrahami Heineccii Oratioes duæ, 1. De varietate religionum jam inde i  
mundo condito ad hæc usq; nra tempora, tum quoq; de veritate extende agi.  
2. de Sapientia omnia operante.

Joan. Christiani Dölant Oratio de necessariis belli requisitis.

M. Math. Hæc auct. dicit unilligst von dem Calvinists außersprechliche Declination  
ad Larym abis, & pmissibym opas, dicit lister & recolligend. lib. d' l'apung  
ntlisto fimest vordlung außersprechliche Dis. Hæc, Notwendige  
Larym, in velt d'ucht & d'ausigheit & d'ausicht g'walt, & v'ia festig  
to für v'iaf' augstent, Calvinists Buch für d'uch d'.

epid. d'icogayf'indliche Worte v'ia die Calvinists in 99 Punkten mit des  
B'ischofs, und d'urch v'ia v'ia f'innung.

Castanei distinctiones.

ULB Halle 3  
005 129 230  


V3 17



... quibus: **S**ignificat...  
 ... violare. **S**ignificat...  
 ... mundum. **S**ignificat...  
**Q**uia putas evenerit. **S**ignificat  
 tra sit cadit. **D**icitur. **S**ignificat  
 rei tunc adulescenti...  
 ... m... m... m... m... m... m... m...  
 ... m... m... m... m... m... m... m...  
**C**onfirmat. **S**ignificat...  
 ... m... m... m... m... m... m... m...  
 ... m... m... m... m... m... m... m...  
 ... m... m... m... m... m... m... m...

... **S**ignificat...  
 ... **S**ignificat...  
**C**onfirmat. **S**ignificat...  
 ... m... m... m... m... m... m... m...  
 ... m... m... m... m... m... m... m...



**P**



B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

4  
NES DUÆ  
YRICÆ,

ETATE RE-  
M INDE A MUN-  
AD HÆC USQ; NO-  
IOQ; de VERITATE  
em agit:

*ALI Virorum Juvenum Pro-  
andidatorum Philosophia  
Sept: Anno 1620.*

NTIA OMNIA  
ANTE,  
eptembr: Anno 1623.

*RIMA AC FLORENTISSI-  
a, in frequenti Dn. Dn. Pro-  
iosorum confessu,*

HEINECCIO  
LOGICÆ & META-  
OFESS. PUBL.

, item Candidatorum nomina,  
HILOSOPHIÆ, in Academiâ Witte-  
de IMPEDIMENTIS HONO-  
ORUM, 18. Septembris  
23. dicta.

CHRISTIANI THAM,  
Typegr.